LE
CEN

Digitized by Google

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
42
4 G
34
FONDO EBORENSE

Digitized by Google

Digitized by Google

ΠΑΡ

4 IVR

DVC

XI.

DN. AN

Cùm ſingul
ac rerum

Baldaſſari
emptus

VIRTVTE DVCE,

APVD S

LV

ΠΑΡΕΡΓΩΝ

IVRIS LIBRI DVO VLTIMI, XI. VIDELICET, ET XII.

*

DN. ANDREA ALCIATO AVTORE.

Cùm ſingulorum capitum Argumentis, ac rerum uocabulorumq; indice.



Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISS. AMPLISS.'Q. P. OTHONI A' TRVCHSEN. S. R. I. HAEREDIT. DApiſero, Baroni VValtpurg. Auguſtæ Vindel. Epiſcopo, & S. R. E. Cardinali, Franciſcus Alciatus I. C.

SAL.

QVO *feliciſsimo tempore perilluſtris amplitudo tua, noſtri huius Ticinenſis Gymnaſij clauum tenebat, & Reipub. noſtræ literariæ gubernacula tractabat, tanta autoritate, magnificentia, liberalitate rexit, tantuſque nominis tui ſplendor eluxit, tanta ſublimium uirtutum tuarum claritas refulſit, ut omnium Gymnaſiarcharum, qui poſt homines natos unquam fuerint, futuri ue ſint, luminibus obſtruxerit, famamq́ue longo ſuperarit interuallo: ob idq́ue meritò inſignis ille inclyti Magiſtratus tui annus inter magnos ſit relatus, maneatq́; etiamnum, & omni uenturo ſeculo manſura ſit ſempiterna illius memoria. Quæ res adeò in tui admirationem & ob-*

Digitized by Google

ſuis pulchrius, atque luculentius tunc apud ſe habuit celeberrimo nomini tuo eleganti præfixo elogio dicarit : nempe tres illos Parergωn libros multiplici rerum abſtruſarum uarietate & omniſariæ doctrinæ copia refertos. Quibus ſeptem alios deinde ſub eiuſdem nominis tui auſpicijs addidit: quo tempore auguſtior dignitas tua effecta eſt. Auguſtanæ eccleſiæ Pontificatus meritis tuis delati acceſsione. Et quia illud ſcribendi argumentum tam fusè lateq; patebat, ut in dies creſceret, & noua ſuperfœtura iam editos partus augeret: factum eſt, ut dum uixit duos alios adiunxerit libros, plures etiam ſcripturus, ſi uitæ longioris commodo frui potuiſſet. Sed ſic, quantum uideo, erat in fatis, ut hoc eximium atque fœcundum opus ſe contineret intra duodenarium librorum numerum, quem diuinæ gratiæ ac perfectionis eſſe, rebusque excreſcentibus propriè conuenire proditum eſt. Hos autem poſteriores libros cùm ego, cuius hæ erant partes, in præſentia foras edere ſtatuiſſem, tuæ potiſsimum amplitudini dedicare uolui, ut finis ad eundem referatur, cui initium mediumque tributum eſt : æquum enim id fuit, & ſedulò à me præſtandum : ne quod ſolidi iuris tui erat, perini-

Digitized by Google

Alciati hæreditate mihi obuenit, teipſum demererer, gratiamq́ue tuam mihi conciliarem. Quam cùm ſummam apud te Alciatum ipſum iniȷſſe ſciam, quandam in ſpem uocor, fore, ut eiuſdem quoque partem aliquam mihi lubenti animo impartire non dedigneris. Ego uerò magnum quoddam conſecutus uidebor, ſi in gradum quantumuis poſtremum dedititiorum tuorum coniectum me intellexero. Ea enim eſt celſitudo tua atque ſublimitas, ut quilibet meæ conditionis uir magni honoris loco deputare debeat, & inter deorum munera recenſere, ſi tuorum clientum deuotorum numero fuerit aſcriptus. Tu certè magnam Chriſtiano in orbe exiſtimationem autoritatemq́; indeptus es, cùm totis contendiſti uiribus, ut peſtiferæ illius ſectæ contagio, quæ à paucis initio profecta, latius in Germania manauerat, cohiberetur, & funditus comprimeretur, omnesq́; tam principes, quàm Reſpub. & priuati homines illa infecti labe in orthodoxam redirent uiam, idq́ue exactè in tui epiſcopatus Auguſtani diœceſi effeciſti, cùm omnibus hiſce impȷs profaniſq́ue hominibus eiectis, propulſatis, & ab eorum manibus præſulatus tui adminiſtratione feliciter recuperata, adnitente maximè CAROLO V. *Auguſto in priſtinum Chriſtianæ religionis cultũ omnia reſtituiſti, & S S. R.*

Eccleſiæ ritus antea fœdè conculcatos reuocaſti: pios ſacerdotes ſuis eccleſijs, eccleſias ſuis reddidiſti ſacerdotibus: ut meritò ob tam egregiam pro fidei noſtræ tutela nauatam operam PAVLVS III. *Pontifex Max. in Senatum Galeritorum patrum te cooptarit, ad alios quoque excelſos honorum gradus & Cæſar ipſe Auguſtus euexerit. Quas ob res aucta eſt mirum in modum gloriæ tuæ fama: ſic ut dubium facturus ſis, plus'ne Diuus Simpertus, & Hartmannus deceſſores tui Auguſtanæ eccleſiæ contulerint: quorum alter comitatu Dillingen. eam adauxit, alter eius fines longè lateq́ue propagauit: an tu magis extuleris, cùm ſuum illi antiquæ probatæque religionis decus recuperaueris, ſummos honores, ſummas dignitates addideris: & primus (ſi Petrum Scauuembergen. excipiamus) purpureum latum clauum intuleris. Macte igitur eſto uir Auguſtiſſime, & ſub tantæ amplitudinis tuæ clypeo me quoque conſiſtere ne renuas. Sic Deus Max. uotis tuis benignè annuat. Ticini octauo Idus Maij.*

M. D. L I.

Digitized by Google

FRANCISC. ALCIATVS LECTORI SAL.

NON poſſum non ſummopere deteſtari quorundam typographorum temeritatem atque audaciam, qui commentaria ad aliquot iuris noſtri partes, olim ab Alciato publicè pomeridiana hora profitente, rectè quidem dictata, ſed ab auditoribus perperam excepta, inuulgare non ſint ueriti. Cumque ea ab indoctis ſcriptoribus uili ære redemerint, & non ſolùm autoris iniuſſu, ſed ipſo prorſus inſcio atque inuito ediderint, nihilominus impudenter etiam mentiti ſint ſibi ab Alciato partim ultrò oblata miſſaque fuiſſe, partim prece ac precio extorta: cùm tamen nulli unquam, licet enixè rogatus, & magnis inuitatus præmijs concedere uoluerit. Quinetiam ijdem inſynceri homines ſtudioſis omnibus impoſturam fecerint, dum falsò aſſeuerarunt integrè omnia & emendatè ac ab ipſo profecta archetypo publicaſſe: cùm tamen pleraque mutila, deprauata, imperfecta præcipitarint: ſic ut infinitis penè in locis nullus aptus ſenſus elici poßit: & quæ in iure noſtro citantur loca, magno ſtudioſorum labore perquiſita nuſ-

quam

quam inueniantur: deſintque non ſola uerba, aut aliquot uerſus integræ'ue clauſulæ: ſed decem, uiginti, & eo amplius quandoque folia. Plura etiam ac locupletiora in eiſdem argumentis elucubrata commentaria edenda ſuperſint. Quæ quia à me concinnantur, & dilucido ordine digeruntur, hactenus publicum accipere non potuerunt, breui tamen acceptura. Qua de re te opt. Lector admonendum eſſe putaui, ne poſthac impoſtoribus illis chalcotypis facilè credas: utque accuratè in poſterum caueas, ne falſa pro ueris, adulterina pro legitimis tibi obtrudat: & eos duntaxat genuinos Alciati fœtus ac ueris eductos exemplaribus eſſe putes, quibus meum in præfationibus præfixum nomen legeris.

Vale.

ARGVMENTA
CAPITVM LIBRI VNDECIMI.

CVR poſſeſsio *κατοχὴ* dicatur: & quid ſit *διακατοχία*: quid item Hyperocha. Et an appellatione Lapillorum comprehendãtur margaritæ: & quid de uitreis. CAP. I.

Fera uulnerata an inſequentis uulneratoris, an appræhendentis ſit. Et quid in fera canibus fugata, aut occiſa. Quid item ſit Birſare. Quid in piſcibus captis in alicuius retibus. Et quid in ceruo domeſtico in nemore occiſo. Et defenſus Vergilius à Grammatiſtarum morſibus. CAP. II.

Irenarchæ qui dicantur: quæ Notoria: quæ Irenicæ literæ, quæ Formatæ. Quis item Eranarches ſit, & declaratus Homeri locus. CAP. III.

Sycophanta quis dicatur: & reſtitutus Plauti locus: quis item ſit Kalophanta: Hydrophanta, Hierophanta: & de mulieribus hierophantrijs. CAP. IIII.

Vera'ne ſit eorum ſententia, qui teſtes in acceſſorijs tantum contrarios fidem nihilominus facere crediderunt. Et an Suſannæ hiſtoria pro uera ſit recipienda. CAP. V.

Emendatus Iuſtiniani locus in, l. ij. C. de uet. iur. enucl. Et quid apud eum ſignificet κατὰ πόδα, id eſt, iuxta pedem. CAP. VI.

Variæ ſignificationes Manus: & de matrimonio quo uxor in manum uiri conueniebat. Itemq́; de nuntiatione quæ per manum fit: & quæ dicantur manus Verris apud Ciceronem: quæ Siniſtræ Catullo: & plures loci eiuſdem Catulli emendati, qui antea corrupti cir-

cumferebantur. CAP. VII.

Nepotes unde dicti, & quomodo iura ſuorum hæredum habeant: & quando poſthumi alieni dicantur: & defenſus Liuius à morſibus Vallæ, itemq; Pomponius in l.ij.de orig.iur. CAP. VIII.

Liberi qui dicantur, & declaratus Catulli locus: & de Patrepatrato, itemq; Prætoribus prouinciarum: & quid apud eundem Catullum ſignificet, Sine ſacris domus. CAP. IX.

Quæ eſſet Dictio dotis: & quid Dictis obligari: & declaratus emendatusque Plauti locus: itemque Perſij, & Cornelij Taciti. CAP. X.

Cur Iuſtinianus Digeſta in ſeptem partes diuiſerit: & de poteſtate ſeptenarij numeri: & quoto menſe partus maturus edatur: & de ætatum diſtinctione ex Solonis ſententia. CAP. XI.

Articulus quid ſignificet in l. ab executione. C.quorum appel.non recip.cuius legis ſenſus explicatur, & aliæ ſignificationes Articuli afferuntur, & locus Plauti declaratur. CAP. XII.

Dictio Olim, quandoque ad præteritum, quandoque ad futurum refertur:et qua pœna teneatur,qui ſe filiūfam. ſit ementitus, Plautiq; locus declaratus. CAP.XIII.

ARGVMENTA

CAPITVM LIBRI DVODECIMI.

Dictio Omnis, in quo differat à dictione Quilibet, & quàm uariè à Iuriſconſultis accipiatur: explicatusq; Vergilij locus. CAP. I.

Stuphar

Stupharum mentio in iure, earumq́; uarij uſus & modi: & quid, & unde dicta ſit cucuma: & de caminis. CA. II.

Quid Palea ſignificet in Gratiani Decreto, & quæ dicantur κρόνια, *ſeu Saturnalia.* CAP. III.

Emendatus Vlpiani locus in l. relegatorum. de interd. & releg. Et quid Ouaſis ſignificet: & declaratus Vergilij locus, ubi de Oaßi agit. CAP. IIII.

Correctus Sceuolæ locus in l. Thais. de fideicommiſ. libert. ubi de Splendophoro agit: itemq́; emendatum ac declaratum Martialis carmen. Et quid ſit Side, quiq́; Feneſtellæ dicerentur. CAP. V.

Contractus libelli an ſit licitus: & quibus caſibus utiliter, & abſq; uſurarum labe celebretur. CAP. VI.

Matrimonium inter duos inpuberes contractum quo iure ualeat: & uerus ſenſus l. quæſitum. de ſponſalibus explanatus. CAP. VII.

Declarata l. non figura. de act. & obliga. & quædam de literarum obligationibus, & quas uulgò Literas cambij uocant. CAP. VIII.

Declarata l. Charidemus. de pollicit. & quid ſit Munus edere: & de prohibito gladiatorio ludo, emendatuſque Iuuenalis locus: & quid ſit Premere, uel Conuertere pollicem. CAP. IX.

Veræ lectioni reſtituta l. ſed & ſi quid. §. proinde de uſufruc. Et quæ ſint Aulæa, Vela, & Siparia. quid Sciadion Polluci: & unde Vmbelligeri ſerui, & declaratum Martialis carmen. CAP. X.

Lex Papia de ſucceßione libertorum, in quo à Iuſtiniano imminuta, auctáque. Et Veſpaſiani elegans iocus in libertum: & Tranquillus duobus in locis illuſtratus. CAP. XI.

An

An publicæ utilitati conducant Iuriſconſultorum reſponſa, quæ uulgò conſilia uocant: & Pauli Pici hac in re ſententia, multorum'que ſuggillati mores: & duo prima Alexandri conſilia confutata. CAP. XII.

FINIS.

ANDREAE AL-CIATI IVRECON-SVLTI ΠΑΡΕΡΓΩΝ SEV, OBITER DICTORVM LIBER VNDECIMVS.

*

Cur poſſeßio κατοχὴ dicatur: & quid ſit διακατοχία: quid item Hyperocha. Et an appellatione Lapillorum comprehendantur margaritæ: & quid de uitreis. CAP. I.

CVM Pauli capitulum lib. L I I I. ad edictum interpretarer, quo de acquirenda poſſeſsione agitur:[a] dixi, me admirari, cur tractatum illum ab etymologia ſit auſpicatus, omiſſa definitione: cùm tamen M. Cicero ſemper à definitione incipiendum eſſe cenſuerit. Dixi tamen, uideri eam definitionem ab eo appoſitam, quæ κατ' ἐτυμολογίαν Victorino Boëthioque dicitur, cuius nos ſuprà

a *l.j.de acquir.poſſ.*

poſs. ſuprà meminimus: ut poſſeſsio ſit ſedium poſitio, in re quæ naturaliter ab eo tenetur, qui ei inſiſtit: ideoque & Græcè κατοχὴ dicitur, id eſt, detentio. Licet enim & κτῆμα, & κτέαρ, & alijs quoque modis Græcè appelletur: tamen Iuriſconſulto placuit κατοχὴν dicere, quæ propriè ad detentionem ſpectat, cùm aliæ uoces ad poſſeſsionem quoq; proprietati iunctam pertineant. Eſt autem huius dictionis mentio in conſtitutione quoque Arcadij Imp.[a] Nemo excuſetur, quo minus ad διακατοχίας uicem defectas poſſeſsiones ſuſcipiat, tributa & canonem ſoluturus. Vbi Accurſius diacathochian hoſpitale interpretatur. Ego muneris nomen eſſe arbitror, quo cogebantur uicini agros Reipublicæ deſertos ſuſcipere colendos, ſub certæ penſionis canone. Apud Tryphoninum in Pandectis Florentinis non hypotheca legitur,[b] ſed hyperocha: uideturque hac uoce ſignificari ius pignoris retinendi pro eo quod reliquum eſt, dimiſſo primo creditore. ὑπεροχὴ uulgò ſupra plus dicitur. Subijcit ibidem Paulus, Dominium rerũ à naturali poſſeſsione cœpiſſe: unde etiamnum gemmæ, lapilli, margaritæ in litoribus inuentæ, efficiuntur occupantis. Annotantque

a *l. quicunque. C. de om. agro deſert.*

b *l. quærebatur. qui pot. in pigno.*

tantque ijs uerbis interpretes, Lapillorum appellatione non contineri margaritas, idq; maximè in municipalibus conſtitutionibus.[a] Sed quid ſi adulterinæ ſint aut uitreæ? Et non uideretur abſurdum, de ijs actum quoque cenſeri, ſi tamen ratio legis ſuadeat:[b] nam & uitrum ex lapide fit: & apud Ariſtophanem in Nubibus appellatur lapis λίθον ταύτην ἑώρας τὴν ὕαλον λέγεις. Extat non illepidus apud Trebellium Pollionem locus in uita Gallieni Imp. Vendiderat negotiator eius uxori gemmas uitreas pro ueris: qua de re indignata mulier, rapi ad pœnam hominem procurabat. Mandauit itaque Imperator eum tanquam leoni obijciendum duci: deinde è cauea caponem emiſit: mirantibusq; cunctis, iuſsit per præconem pronuntiari, Impoſturam fecit, & impoſturam paſſus eſt. Quo exemplo iudicis cuiuſdam factum laudaui, qui cùm edixiſſet ſub pœna equulei, ne quis ſicam deferret: quendam cum ſica lignea argentata ad illudendos apparitores inuentum, iuſsit aduſque equuleum duci, tanquam re uera eum torturus, deinde nil ulterius paſſum dimiſit. Etenim certum eſt, gladij appellatione, ferreum, non autem ligneum, plumbeum'ue & innocuum

comp

a l. fi. §. ſpecies. de publica. ubi Barto.

b l. iij. C. de ueſtib. olob. li. xj.

comprehendi, qua de re & lib.de Verb. ſigni. I I. diſputaui.

Fera uulnerata an inſequentis uulneratoris, an apprændentis ſit. Et quid in fera canibus fugata, aut occiſa. Quid item ſit Birſare. Quid in piſcibus captis in alicuius retibus. Et quid in ceruo domeſtico in nemore occiſo. Et defenſus Vergilius à Grammatiſtarum morſibus. CAP. II.

ADDIT eodem loco Paulus, dominia à poſſeſsione cœpiſſe, eo quoque exemplo probari, quod quæ terra, mari, cœloq; capiuntur, protinus eorum fiunt, qui primi poſſeſsionem apprænderint. Vnde conſequens eſt, ut ſi feram à uenatore uulneratam, quamuis eo inſequente, ego interprænderim, mea ſit. Quod aduerſus Trebatij ſententiam receptum eſt. [a] quia multa accidere potuerunt, ut
1 eam uenator non caperet. Scribit tamen Accurſius, conſuetudine Trebatij opinionem probari. Ego & Federici Aenobarbi conſtitutione id inductum ſcio: qui, ut eſt apud Radeuicum lib. III. cap. XXVI. cùm in Italiam ueniſſet, inter cætera & hoc ſanxit, ut ſi quis canibus leporarijs duntaxat feram fugauerit, non fugantis, ſed occupantis ſit. Sed

a *l. v. §. illud. de acquir. rer. domin.*

Sed ſi lancea, uel gladio feram percuſſerit: II
quamuis alter occupet, non tamen eius ſit,
ſed ſauciantis. etenim uidetur quodammodo
apprændiſſe, qui, ut in carmine Vergil. eſt,
Iam iamq́; manu tenet, & premit haſta.

Subijcitur in ea conſtitutione, Si quis bir- III
ſando feram ſcorpione, balliſta, arcu occiderit, eius erit. Verbum illud Birſare, Latinum non eſt: ſignificat autem collimare ad ſcopum: & hic enim caſus ſumma æquitate nititur. Si enim occidit, nihil contingere poteſt, quin accipiat. Secus ergo ſi duntaxat uulnerauerit, & fugientem alius appræenderit.

Sed finge, Aliquis piſcator naſſas labyrin- IIII
thosq́; ſuos in flumine ueſpere tetenderat, deinde ſummo mane reuerſus æmulum artis ſuæ deprændit, qui caſſes euacuauerat, piſcesq́; extraxerat, [a] cuius erunt piſces? Et puto dominium occupatoris eſſe: dandam tamen piſcatori iniuriarum actionem [b] aduerſus eum, qui retia ſua contrectauit atque apperuit: nec enim uidetur id licuiſſe. In flumine uerò priuato non putarim denegandum domino, quin huiuſmodi retia arbitrio ſuo abijciat. [c] Sed pone, Claſsiarij de naui ad præ- V
dam exiuerunt, ceruumq́; in nemore inuen-

a *l. in laqueũ. de acqui. rer. domi.*

b *l. iniuriarum. §. ſi quis. de iniur.*

c *l. diuus. in gl. de ſer. ruſti.*

tum occiderunt: is ceruus domeſticus erat, quamuis ipſi ignorarent: ad quem pertinebit? Et putarim domini eſſe, cùm conſuetudinem reuertendi domum retineret. [a] Nec tamen ei actionem iniuriarum aliquam competere, cùm probabiliter claſsiarij credere potuerint ferum eſſe, & ideo iure gentium occupantis fieri.

a §. ceruos. institu. de rer. diuiſ.

P. Vergilius lib. VII. belli Latini initium huiuſmodi caſu contigiſſe tradidit: nec caruit hæc res Grammaticorum repræhenſione, ut eſt apud Macrobium lib. V. Qui ut rudem puerilemq́; hanc cauſam irriderent & abſq; exemplo à poëta confictam: atqui prima cauſa fuit, ut exteros agro ſuo arcerent, occaſionem uerò ſic inſultandi præſtitit quidem ceruus, uerùm animis iam à tartareo monſtro concitatis. Laudādusq́; eſt poëta, qui ex iure gentium hypotheſim ſumpſit, unde in utranque partem probabilis eſſet ambiguitas, & par hoſtium cauſa. Nec uerum eſt carere exemplo eam rem, cùm Vlyſſei omnis laboris non abſimilis fuerit origo: nempe ut Homerus ait, quia boues Solis ſocij nauales confixiſſent, comediſſentq́; Νήπιοι οἳ κατὰ βοῦς ὑπερίονος ἠελίοιο, ἤσθιον. Sic Ariſtoteles ciuilis conuerſationis

tionis lib.v. autor eſt,oriri certamina non pro paruis rebus, ſed ex paruis ad magna peruenire. Aelianus autor eſt, Magneſijs & Epheſijs, ut armis concurrerent, cauſam dediſſe locuſtam. Sic Carnos cum Illyricis ob columbam belligeraſſe. Thebanos uerò Aegyptios cum Romanis pugnaſſe, cùm belli prætextus eſſet,occiſus canis.

Irenarchæ qui dicantur: quæ Notoria: quæ Irenicæ literæ, quæ Formatæ. Quis item Eranarches ſit, & declaratus Homeri locus. CAP. III.

A PACE, quæ Græce εἰρήνη dicitur, in iure noſtro appellati uidentur Irenarchæ: quos ex epiſtola diui Pij conſtat præpoſitos fuiſſe [a] latronibus capiendis, atque etiam interrogandis: non ut ipſi ſumerent de eis ſupplicium, ſed ut denuntiarent præſidi,atque ad eum noxios mitterent cum notorijs, [b] id eſt interrogationum ſcriptura de conſcijs & receptatoribus. Apud Euſebium Pamphili hiſtoriæ libro quarto traditur, Polycarpon ab Herode præfecto pacis, id eſt, Irenarcha, in uehiculum ſuſceptum fuiſſe, & ad ſupplicium ductum, cùm eius perſuaſionibus cedere noluiſſet,ut idolis ſacrificaret. Sunt & inter

a *l. diuus. de cuſt. reor.*

b *l. ea quidem. C. de accuſ.*

magiſtratus municipales ij Irenarchæ, qui,ut Arcadius ſcribit, diſciplinæ publicæ & corrigendis moribus præficiuntur, & munera perſonalia ſubeunt. Scribit Antoninus Imperator, [a] quietis & pacis tutelam per ſingula territoria hos procurare, & à decurionibus iudicio præſidis idoneos nominari. Nomen habent, ut dixi, à pace, quæ εἰρήνη dicitur: quamuis & quandoque nomen proprium ſit, ut in carmine ἀδήλῳ lib. Epigr. II. in epiſcopum, cui concubina erat, hoc nomine.

a l. j. C. de Iren. li. x.

Εἰρήνη πάντεσσιν ἐπίσκοπος εἶπεν ἐπελθών.
Πῶς δύναται πᾶσιν, ἣν μόνος ἔνδον ἔχει;

Adueniẽs pacem populo dat epiſcopus: ecqui
Dat populo clauſam, quã tenet ipſe domi.

In concilio Antiocheno cap. LXXI. [b] legitur, Nullum ἄνευ εἰρηνικῶν peregrinorum clericorum ſuſcipi oportere: ubi Irenicas literas, pro commendatitijs epiſtolis epiſcopi ſui accipi oportet, quæ alibi συστατικαὶ appellantur: [c] & ueteres alio nomine Formatas uocabãt, quòd eiuſdem formæ omnes eſſent: unde & Suetonius Tranquillus Formalem epiſtolam Domitiani uocat, cuius exemplo cæteræ ſcriberentur. Sanè Eranarches ἀπὸ τοῦ ἐράνου, id eſt à contributione dicebatur, qui uulgò Collector

b 71. diſtinc. c. fin.

c c. extraneo. eo. ti.

lector appellatur: id eſt, qui exigit tributa à ciuibus. Vnde iocus Diogenis Cynici, ut eſt apud Laërtium, qui dixiſſe eum πρὸς ἐρανάρχον ait, cùm tributum poſceretur.

Τοὺς δ' ἄλλους ἐράνιζ' ἀπὸ δ' Ἕκτορος ἴσχεο χεῖρας

Exigito ex alijs, ſed contine ab Hectore dextram.

Homeri eſt carmen Iliados ſuppoſito uerbo ἐράνιζε, pro ἐνάριζε, id eſt armis ſpoliat: quem locum non uidetur interpres intellexiſſe, qui Eranarchem ægrotantem tranſtulit: niſi corruptum ſit exemplar impreſſorum uitio.

Sycophanta quis dicatur: & reſtitutus Plauti locus: quis item ſit Kalophanta, Hydrophanta, Hierophanta: & de mulieribus hierophantrijs. CA. IIII.

CVM iudex interlocutione ſua, nec cauſa cognita, dixiſſet, Sycophanta es: reſcripſit Gordianus Imp. [a] non uideri infamia hominem notatum: interpretaturq́; Accurſius Sycophantem eſſe improbum litigatorem. Ego potius calumniatorem, qui de re puſilla magnas nectit trichas: ſic enim Athenienſibus dicti ſunt, qui de ficis ſubreptis aut exportatis quandoque accuſabant, ut Plutarchus tradit, παρὰ τὸ σῦκα φαίνεσθαι, quòd in

a l. uerbum. C. ex quibus cauſ. infam.

apertum referrent, detegerentq; ficos. Plautus Curcul.

> Aedepol nugatorem lepidum lepidè hunc nactu'ſt Phædromus.
>
> Kalophantam an ſycophãtam magis hunc dicam, neſcio.

Sunt autem ij uerſus trochaici ſeptenarij hypercatalectici, ſic legendi, ut in antiquo meo eſt codice: tametſi Feſtus & Nonius Halopantam legerint: quorum ſententia non iniuria diſplicuit Parœmiographo.[a] Videtur hoc nomine appellari qui in ſpeciem appareat bonus, cùm ſit malus: quales Græci χρυσολόγους uocant. Sunt & non abſimili uoce Græcis Hydrophantæ dicti, qui aquarum ſcaturigines perquirunt, ſiue irrigandis agris, ſiue potus cauſa. In collectaneis rei ruſticæ, quæ ſtudioſus aliquis ad Conſtantinum Cæſarem miſit, lib. I. cap. V. extat Democriti locus, ubi aquæ inquiſitionem appellat hydrophanticam ἀπὸ τοῦ φαίνεσθαι τὸ ὕδωρ. Eadem ratione & Hierophantæ dicti, qui de ſacris concionarentur, & ea in apertum deducerent: unde & mulieres hierophantriæ in antiquo tumulo Romæ:

Fabiæ Aconiæ Paulinæ F. Aconij Catulini

[a] *Eraſ. Roterod. Chiliad. 5. Cẽturia 1. Ada. LIX.*

v.c. expræf. conſul. ord. uxori Vecti Prætextati v. c. præf. & conſulis deſignati ſacratæ apud Eleuſinam Deo Iaccho, Cereri,& Coræ: ſacratæ apud Lernam Deo Libero,& Cereri,& Coræ: ſacratæ apud Aegynam deabus Tauroboliæ & Iſicæ.

Hierophantriæ deæ Cereris.

Vera'ne ſit eorum ſententia, qui teſtes in acceſſorijs tantum contrarios fidem nihilominus facere crediderunt. Et an Suſannæ hiſtoria pro uera ſit recipienda. CAP. V.

QVI forenſibus negotijs operam dant, uulgare quoddam Antonij Butrij dictum [a] memoriter tenent, & in ore plurimum habent, quo traditur, Teſtes qui uel in modica aliqua re, uel in appendicibus ſeu acceſſorijs rei mutuò aduerſantur, fidem nihilominus facere: nec ideo falſi ſuſpectos eſſe. Sed aduerſus hanc ſententiam ego ſic argumentari ſoleo: Si id uerum eſſet, non rectè Daniel ſeniores illos in Suſannam teſtes iudicio ſuo condemnaſſet: quorum alter ſub prino id eſt ilice, alter ſub ſchino id eſt lentiſco ſtupratam aſſerebat. Etenim ſub qua arbore id factum eſſet non multum ad rem pertin

[a] Butr.cap. 2.de regula. Alexã. conſi.32.2

sed dic illos testes non in appendicibus sed in substantialibus esse diversos cum videamus in simili libellum in causa criminali debere continere locum. i. in tali domo et in tali camera. s. libellorum. ff de accusationum.

pertinebat. Hieronymus potuiſſe defendi ſentit: quia apud Græcos utraque arbor eandem habet etymologiam, ut à σχίνῳ ſciſsio, à πρίνῳ ſectio ſiue ſerratio dicatur. Sed ſecundum ſupraſcripta tutior fuiſſet Butrij defenſio. Ipſe tamen cum Hebræis codicibus ſentio, illam omnem Suſannæ commemorationem commentitiam eſſe, quod & ferè credidit Hieronymus. Nec me mouet Claudiani poëtæ carmen,

Sic tibi det uires ſancta Suſanna ſuas.

Quia non ideo ſequitur hiſtoriam ab eo probari: & ut ita ſit, haud quaquam magnæ fidei hac in re eſt is autor, quem P. Oroſius & P. Diaconus non Chriſti militem, ſed paganum fuiſſe in rebus Theodoſij tradiderunt. Ego, quia in eius carminibus pleraque ſunt ad Chriſti cultum pertinentia, malim exiſtimare utrunque (quod prouerbialiter dicitur) & neutrum fuiſſe.

Emendatus Iuſtiniani locus in, l. ij. C. de uet. iur. enucl. Et quid apud eum ſignificet κατὰ πόδα, id eſt, iuxta pedem. CAP. VI.

CAVIT diſertè Iuſtinianus noſter,[a] ne quiſquam commentaria in leges ſcriberet, niſi tantum ſi uelint eas in Græ-

cam

[a] *l. ij. C. de ueter. iur. enucle. §. penul.*

cam uocem transformare ſub eodem ordine, eademq́; conſequentia, ſub qua uoces Romanæ poſitæ ſunt: hoc quod Græci κατὰ πόδας dicunt, id eſt ad pedes, ſeu ijſdem ueſtigijs: ut id ſignificetur, quod M. Cicero in oratione pro P. Sextio, In ueſtigijs ſtare, dixit. Diogenianus prouerbium refert, Nemeſis παρὰ πόδας βαίνει. id eſt ueſtigijs inhæret. Ego tamen in antiquis codicibus obſeruaui ſcripſiſſe Iuſtinianum ſingulari numero κατὰ πόδα, id eſt, iuxta pedem: placetq́; mihi magis hæc lectio, ut alluſerit ad carmen Platonis Comici, cuius meminit Suidas,

Ὡς ἐστὶ μοὶ τὸ χρῆμα τοῦτο πρὸς πόδα.

Res iſta noſtrum maximè ad pedem facit. Vt metaphora ſit à calceo ducta, qui accommodatiſsimè ſingulos articulos pedis exprimat: qua de re extat ſcitiſsimum Pauli Aemylij dictum, cuius Plutarchus ἐν τοῖς γαμικοῖς παραγγέλμασι meminit. Is cùm uxorem locupletem, formaq́; conſpicuam, atque pudicitia inſignem repudiaſſet, hocq́; nomine ab amicis caſtigaretur: protenſo calceo, Et hic, inquit, nouus eſt, & pulcher: nemo tamen ueſtrum nouit, ubi me premat.

Variæ ſignificationes Manus: & de matrimonio quo uxor in manum uiri conueniebat. Itemq́; de nuntiatione quæ per manum fit: & quæ dicantur manus Verris apud Ciceronem: quæ Siniſtræ Catullo: & plures loci eiuſdem Catulli emendati, qui antea corrupti circunſerebantur. CAP. VII.

NONNVLLAE ſunt in iure noſtro Manus ſignificationes metaphoricῶs acceptæ, quę etiam alijs autoribus ſunt communes: ut cum Papinianus, Quod per manus, inquit, traditum eſt, codicillis hæreditatem dari non poſſe, &c. [a] Et alibi, Mulier ab eo, in cuius manum conueniebat ſtipulata fuerat c c. &c. [b] Intelligit autem de ea ſpecie matrimonij, qua uxor in manum uiri conueniebat, ut eſt apud Ciceronem in Topicis. Quæ ſpecies cùm hodie exoleuerit, meritò noſtrates pro dictione Manum, Matrimonium, ſubſtituerunt. Caius quoque I. C. Plerunque plus in manus pretio, quàm in re eſt. [c] Quo loco manus pro artificio accipit: ſicut apud Iulium Solinum, Ea ædes manus Dædali oſtendebat. Modeſtinus: Quærebatur an propter emiſſam manum ab eis agere poſſent. [d] Quo loco manum intelligit cautionem eorum chirographo

a l. q̃ per manus. de iur. cod.

b l. ex eo. §. j. de uerb. oblig.

c l. mulieris. de uerbo. ſigni. l. qui inſulam. §. qui ædem. loc.

d l. quidam. de prob.

grapho ſcriptam. Eſt & Nuntiatio Vlpiano quæ per manum fit,id eſt iactu lapidis:[a] quæ uidetur inducta eſſe,ne quis uim armatam adhibeat: eſtq; ex quadam ueteris iuris imagine orta, quo iure manu conſertum res repetebantur, ut eſt apud Gellium.

a l. de pup. §. meminiſſe. de oper. noui nuntiat.

Huc pertinet etiam Manuum iniectio,quę quandoque ex pacto competebat,[b] nilq; aliud ſignificat, quàm facultas propria autoritate utendi. Hinc & Mittere manu, unde Manumiſsio:[c] & Agere in manum, id eſt poteſtatem: unde Mangones ſunt dicti.[d] Eſt & celebris ille loquendi modus, cùm quid dicimus Manu breui acceptum à muliere & marito datum:[e] id eſt per compendium,& uitato circuitu. Eſt & Adoptio tribus manibus,de qua ſuprà lib. IIII. ſatis ſcripſi. Et in iure pontificio, Affirmatio ſeptima manu propinquorum:[f] id eſt,cùm VII. domeſtici iuramentum credulitatis præſtant. Cicero in Verrem Manus Verris, appellat eius emiſſarios, qui pro eo prouinciam deprædabantur. Sic Catullus,

b l. pen. de ſer. expor.

c l. manumiſsiones. de iuſtit. & iur.

d l. mercis. de uerbo. ſignific.

e l. licet. de iur. dot.

f 33. q. 1. cap. 2.

Porti & Socration duæ ſiniſtræ

Piſonis. Siniſtram appellans, quòd hac manu potiſsimùm furta fiebant, dum dextra

ſimul

ſimulant aliquid aliud agere. Plaut. Perſa.

Vbi illa altera eſt furtifica læua? Ouidius Metamor. 13.

Conueniet timidæ natæq; ad furta ſiniſtræ.

Idem Catullus, in Aſinium:

Inter cœnam Aſini manu ſiniſtra
Non belle uteris in ioco atque uino.
Tollis lintea negligentiorum,

Inde apud eundem Siniſtra liberalitas, in Epigra. in Cæſarem, quæ ex furtis & concuſsionibus facta eſt:

Quid eſt alid ſiniſtra liberalitas? Sic enim legendum, non Aliud: cùm epigramma illud totum ex integris iambis conſtet. Veteres autem Alid, dicebant pro Aliud, ut eſt ubique apud Lucretium: ſicut Alis, pro Alius. Catullus ad Hortalum:

An'ne nouum oblita es facinus quo regium adepta es coniugium, quod non fortius auſit alis? nec enim auis eſt legendum ut uulgo iſti emendarunt. Sanè & in eodem epigrammate in Cæſarem ſunt plurima librariorum uitio corrupta, quæ tamen ratione ſyllabarum deprændi & agnoſci poſſunt: ut illud, Habebat cuncta: imo Habebat ora & ultima Britanniæ. Et illud, Vt iſta ueſtra: imo,

Verpa:

Verpa: nec enim in Cæſarem adeò inuehitur ſicut in Mamurram. Item illud, Paterna primum: imo, Prima. Et illud, Hunc Galliæ timent: imo, Teruntur, hincq; Galliæ & Britanniæ: pro expilantur & diripiuntur poſt conſumptas prædas. Et rurſus, Niſi cuncta: pro, Vncta, ſiue Vſta. Difficilius illud ultimum, Eo'ne nomine urbis opulentiſsimæ: ubi tribrachus eſt in quarta ſede, & ſpondeus in quinta: fortè legendum eſt, Vrbis opplitiſsimæ: ſicut ueteres à deleo formabant ſupinum delitum, penultima correpta, ut autor eſt Diomedes ex Varrone: ita uidetur ab oppleo opplitum penultima breui: ut enim Seruius in lib. 4. Aeneidos ait, Verba ſecundæ coniugationis habentia e, ante o, poterant tertiæ quoq; apud antiquos eſſe. Vnde etiamnum Feruĕre, apud Vergilium legitur media correpta: Reſpondĕre, apud Manilium: Fulgĕre, apud Rhennium Palæmonem: Olĕre apud Plautum: qua ratione Caue, & Vale quandoque ultimam corripiunt, qua tamen in re amplius deliberandum eſt. Cæterùm Siniſtra etiam alio ſignificatu accipi poteſt: ut cùm in iure noſtro dicimus, Oriri ſiniſtram ſuſpicionem: [a] & apud Atheneum lib. 13.

a l. etiam. C. de don. inter uir.

ὅς

οὓς ἐδίδαξαν ἀριστερὴ γράμματα μοῦσαι. Quos muſæ ſiniſtras literas docuerunt. Et ex Ephippo, In læuam partem linguam in ore geſtas. Celebre eſt & illius profeſſoris dictum, quo ſe philoſophiæ præcepta tradere dextra dicebat: uerùm auditores ſiniſtra accipere: quod & nobis non ſemel contigit.

Nepotes unde dicti, & quomodo iura ſuorum hæredum habeant: & quando poſthumi alieni dicantur: & defenſus Liuius à morſibus Vallæ, itemq́; Pomponius in l.ij.de orig.iur. CAP. VIII.

NEPOTES dictos Grammatici exiſtimant, quaſi natos poſt filium auo. Ego uerò potius, quia non erant potes, id eſt non poterant auo ſuccedere, ſicut pater poterat. Etenim lege XII. tabularum licet ab inteſtato iura ſuorum hæredum haberent, quod non uno in loco Iuſtinianus tradidit:[a] tamen condito teſtamento ſatis erat auo ſi filium inſtituiſſet, qui primum locum tenebat: nec nepoti deinde ullum erat remedium ut aduerſus eas tabulas audiretur. Quod cùm iniquum deinde uiſum eſſet, lata eſt lex Velleia hijs uerbis: Si quis ex ſuis hæredibus ſuus hæres eſſe deſierit, liberi eius, & cæteri in eius locum

[a] *§. j. inſtit. de hæred. quæ ab inteſt. & de leg. agna. ſucceſ. in princ.*

locum ſui hæredes ſuccedunto. [a] Ante enim eam legem ſucceſſorio edicto locus non erat.[b] Remanentq; eius rei etiamnum aliquæ reliquiæ: unde iure noſtro filius ſub conditione caſuali inſtitui non poterat: & tamen nepos, etiam mortuo patre, poterat, [c] quod & Caſtrenſis fatetur: [θ] cùm non poſsint commodè eæ leges ad eum caſum reſtringi quo pater eorum adhuc eſſet in humanis. Nam & alibi Iuſtinianus diſertè tradit, nepotem loco patris ad rumpendum aui teſtamentum ſuccedere ex lege Velleia: [d] quod indicat, non ex XII. tabul. eſſe: ut meritò huiuſmodi nepos, etiam ſi mortuo patre naſceretur, ipſi auo poſthumus alienus dictus ſit: [e] quòd ſcilicet iura ſuitatis non haberet, ut ego interpretor: tametſi alij ideo alienum dici credant, quia tempore teſtamenti primùm locum non teneret. Hinc apud T. Liuium lib. primo, mortuo Demarato ſucceſsit ex aſſe eius filius Lucumo, qui & Tarquinius Priſcus fuit, excluſo Egerio nepote poſthumo ex Arunte præmortuo. Eademq; ratione factum, ut ipſi Priſco ſucceſſerit filia, quam ex Tanaquile ſuſceperat, & eius gener Seruius Tullius in regnum, excluſo Superbo, qui nepos fuerat,

ut

a l. gallus. §. uiden. de liber. & poſthu.

b l. j. uerſic. quãuis ſucceſsio. de ſuis & legit.

c l. ſuus. l. ſeq. §. nepotes. de hæred. inſtit.

θ Caſtr. §. nunc. de lege.

d l. ſi quis filiũ. uerſ. et ſuperuixit. C. de inoff. teſt.

e l. penul. de leg. j.

ut Dionyſius Alicarnaſſeus ſcribit, & Laurentius Valla longa declamatione diſputat. Quòd ſi cum Liuio magis cenſeamus fuiſſe filium, oportet non ex Tanaquile fuiſſe natum, ſed ex Latinæ conditionis muliere,[a] paucis antequam pater occideretur annis: ideoq́; ei uxorem Seruij prælatam, quæ iure ciuitatis erat potior. Regnauit autem Seruius annos quatuor & triginta, ut eſt apud Euſebium, & Caſsiodorum, Eutropiumq́;, item & Bedam: licet mendosè in Liuij Codicibus additum ſit decennium, & Superbo ablatum: diluunturq́; hoc modo omnes Vallæ rationes, quas ipſe aduerſus T. Liuium ea declamatione, ſeu epiſtola ad Alphonſum inducit. Vtinam tam facilè defendi Pomponius noſter poſſet,[b] qui Papyrius, inquit, illis temporibus fuit, quibus Superbus Demarati Corinthij filius ex principalibus uiris: atqui non filius Superbus Demarati, ſed nepos aut pronepos fuit. Budæus aut hallucinatum Pomponium ait, aut librarium. Norica editio nomen Superbi aboleuit: Zaſius & Catullinus filij appellatione hoc loco nepotem contineri cenſuerunt: nec uideo quid reſponderi aptius poſsit.

a ſuprà lib. 5. cap. 5

b l. ij. de orig. iur.

Liberi

Liberi qui dicantur, & declaratus Catulli locus: & de Patrepatrato, itemq; Prætoribus prouinciarum: & quid apud eundem Catullum ſignificet, Sine ſacris domus. CAP. IX.

IVRE noſtro præcipua multa matrimonijs indulgentur: quia Reipub. intereſt dotatas eſſe mulieres ad replendam liberis ciuitatem. [a] Dicuntur autem Liberi illi dumtaxat, qui ex legitimis nuptijs ſunt procreati cùm Nothi, Naturales, Spurij, Latinæ conditionis eſſent. ideoq; non planè liberi. Fab. Quintil. lib. III. & hîc finitionem mouet, an liberi ſint etiam non legitimi. Catullus in Epithalamio;

a l. j. ſol. matrimo.

Nulla quit ſine te domus
Liberos dare, nec parens
Stirpe dicier, at poteſt
Te uolente. quis huic Deo
Compararier auſit? Subijcit deinde;
Quæ tuis careat ſacris
Non queat dare præſides
Terra finibus: &c. Quibus uerbis apparet, Præſides finium non fieri, niſi qui legitimo matrimonio nati ſunt. Quod ſi de patrepatrato, qui fecialibus præerat, interpre-

C temur,

temur, clarum habet ſenſum. Creari enim non poterat pater patratus niſi qui & patrem haberet, itemq́; & filios, ut Plutarchus in Problematis tradit. Ego tamen potius de Pręțoribus prouinciarum atque Proconſulibus intellexerim, quos ad ſortitionem honorum non admitti conſtat niſi patres eſſent. Extat apud Corn. Tacitum lib. xv. S. Conſultum P. Mario L. Aſinio Coſs. quo cautum, ne orbi fictis adoptionibus, ceu ueri patres prouincias ſortirentur, neu tales adoptiones ulla parte munerum publicorum iuuarent. Huc pertinet lex Iulia, de maritandis ordinibus, à diuo Auguſto lata: & lex Papia Popæa, de præmijs patrum, quarum Tacitus, Tranquillus, Dion, meminere. Dicuntur autem filijfamil. eſſe in ſacris patris, quod alibi declaraui:[a] ut meritò dixerit Catullus, ſine ſacris eſſe domum, in qua paterfamilias ſit orbus.

a *l. filiæ. ij. C. de collat.*

Quæ eſſet Dictio dotis: & quid Dictis obligari: & declaratus emendatusq́; Plauti locus: itemq́; Perſij, & Cornelij Taciti. CAP. X.

VERBIS hodie contrahitur obligatio per ſtipulationem: olim uerò etiam alia erat ſpecies, quæ Dictio dotis dicebatur, qua citra ullam ſolenni-

tatem

tatem tres perſonæ obligari poterant : ipſa mulier, eius pater, itemq; mulieris debitor. quod Caius lib. 11. Inſtitutionum tradidit: unde Dictis obligari, puto ueteribus fuiſſe, ex dictione dotis reum ſe conſtituere. Apud Plautum in Curcul. carmen eſt,

> Dictis damnoſos maritos ſub baſilica quærito.

Indicauit arbitror poëta, ſub baſilica ſolitos ambulare eos, qui uxorem ducturi erant minima dote, qui ſcilicet damnum dictis eſſent facturi: ſiue decepti à proxenetis, ſiue nimia facilitate ſua fidem habentes mulieri, aut ijs perſonis, quæ pro ea dotem dicere poſſunt. Nam quæ interpretes ibi comminiſcuntur, non ſatis probabilia ſunt. Sed & arbitror repetitum ibi carmen Dictis damnoſos maritos apud Leucadiam Oppiam Plautinum non eſſe, non enim conſtat omnino legitimis numeris: ueriſimile eſt immutatum ab aliquo comœdo in odium proxenetriæ, cui nomen eſſet Oppia Leucadia. Dictum, inquit Vlpianus, [a] accipimus quod uerbo tenus pronuntiatum eſt, nudoq; ſermone finitum. Promiſſum autem poteſt referri & ad nudam promiſsionem, ſiue pollicitationem, uel ad

[a] *l. ſciendũ. de ædil. edic.*

ſponſionem. Ea autem ſola dicta ſiue promiſſa admittenda ſunt, quæcunque ſic dicuntur, ut præſtentur, non ut iactentur. Perſius:

–Fuge quærere quid mihi quondam
Legarit Tadius, neu dicta repone paterna.

Sic enim legendum, non Stadius. Eſt autem Tadius antiquum nomen Romanum: extat etiamnum Cliuij, oppido agri Mediolanenſis uetus monumentum ijs uerbis. T. Tadius T. F. OVF. Catianus. VI. uir. urb. Q. Collegij centonariorum anni quo curia dedicata eſt, ſibi & Tadijs Caſsiano, & Secundo Fil. VI. uir. urb. & Terentiæ Valerianæ uxori. L. D. D. C. & in tutel. ded. HS. ∞.
Corn. Tacitus lib. I. Qui Tadij & Vedij Pollionis luxus. Quamuis eo in loco forte melius legendum ſit, Atedij: ſic enim appellat Seneca lib. de Ira. III. cap. XL. ubi eius immanitatem deſcribit, qui ſeruulum fracto cryſtallino murænis obiecerat: quamuis idem Seneca lib. de Clementia id Vedio tribuat, quod & Dion Coccæus lib. LIIII. facit.

Cur Iuſtinianus Digeſta in ſeptem partes diuiſerit: & de poteſtate ſeptenarij numeri: & quoto menſe partus maturus edatur: & de ætatum diſtinctione ex Solonis ſententia. CAP. XI.

Quæſi

QVAESITVM fuit, cur Iuſtinianus, quiq; illi in conſilio erant, quinquaginta Digeſtorum libros in ſeptem potiſsimum partes diuiſerint: [a] cùm enim appareat tractatus diuerſiſsimos in ſextum Tomum ab eis collatos: cur potius eum non ſepararunt, & octo articulis rem omnem finiuerunt? Et certè non ſatis habeo hac in re quid dicam, niſi ità illis placuiſſe, ut ſeptem potius partes eſſent: idq; propter eius numeri poteſtatem, atque etiam perfectionem, de qua non Philoſophi ſolùm, & Theologi plurima diſſeruerunt, ſed & Poëtæ, ut cum Homerus dixit, τρὶς μάκαρες Δαναοὶ καὶ τετράκις: Vergilius, O terq; quaterq, beati: Ouidius, Terquater Idmoniç frontem percuſsit Arachnes. Sic Macrobius lib. I. Hominem, ſiue ad corporis intima, ſiue extrinſecus ſpectes, ſeptenarij numeri ratione conſtare diſputat. Sic Corn. Tacitus lib. ultimo pleraque cœleſtium ui ſua & curſu per ſeptimos numeros commeare duce Saturno tradidit. Sic Paulus noſter ſententiarum lib. IIII. Septimo inquit menſe natus matri prodeſt: ratio enim Pythagoræi numeri hoc uidetur admittere, ut aut ſeptimo

a *l. ij. C. de uet. iur. enucl.*

 pleno,

pleno, aut decimo menſe partus maturior uideatur. Idemq; Alexander Probl. lib. II. cap. XLIIII. tradit & ipſe, adducto Pythagoræ teſtimonio: tametſi alibi Paulus maluerit autoritate Hippocratis uti, [a] qui hoc ipſum cenſuit λόγῳ XLV. & LXIII. prope finem. ſic quamuis lege XII. tabul. agnati uſque ad decimum gradum ad inteſtati ſucceſsionem uocarentur, tamen prætores nomine proximitatis cognatos non niſi intra ſeptimum admiſerunt: [b] id eſt ſobrinis natos: ſatis exiſtimantes ad hunc uſque numerum progredi. Quo exemplo & bonorum poſſeſsiones intra ſeptimum modum ſunt hodie redactæ, [c] ex Iuſtiniani conſtitutione, cùm alioquin lege XII. tabul. ad decimum uſque progrederentur. Proſequitur ſeptenarij numeri laudes Philo Iudæus lib. de Opificio mundi ſecundo, etiam adducto Solonis Athenienſis legiſlatoris elegidio non ineleganti, quo ætatem hominis per eum numerum diſtinguit: cuius imitatione & noſtrates infantiam ad ſeptennium produxerunt, [d] pupillarem ætatem ad bis ſeptimum annum. Addit ille tertio ſeptennio dici adoleſcentes, quarto iuuenes, quinto maritos, ſexto uiros, ſeptimo uerò

uiril

a *l. ſeptimo. de ſtat. hominum.*

b *§. fi. Inſti. de ſucceſ. cogn.*

c *§. ſeptima. Inſtitu. de bon. poſ.*

d *l. ſi infanti. C. de iure delib.*

uirilitas erit conſiſtens, octauo affecta & uergens, nono ſenectus ſapiens, decimo ſenex declinans & moribundus. Quam elogiam ego Latinè eram redditurus, niſi hoc ipſum feciſſet Gregorius Lilius Giraldus, uir eruditiſsimus & noſtri temporis Varro, in eo dialogo, quo de Poëtis diſputat.

Articulus quid ſignificet in l. ab executione. C. quorum appel. non recip. cuius legis ſenſus explicatur, & aliæ ſignificationes Articuli afferuntur, & locus Plauti declaratur. CAP. XII.

VALENTINIANI conſtitutione prohibita eſt appellatio ab exequente iudice: [a] ſubijciturq; in ea, Sciant autem procuratores, ſe uel ab executione appellantes, uel ab articulo, quinquaginta librarum argenti animaduerſione mulctandos. Dubitat Accurſius, quid in ea conſtitutione ſignificet Articulus: & nunc ſententiam definitiuam interpretatur, nunc certum aliquod capitulum, ſuper quo fuerit ante ſententiam definitiuam pronuntiatum. Qua in re plurimum miror, adeo defeciſſe tanti uiri acumen: res enim uidetur mihi clarior, quàm ut in ea ſit ullus controuerſiæ locus. Quoties enim iudex modum

a l. ab executione. C. quorũ appel. nõ recip.

in exequendo excedit, permittitur appellatio: Quòd ſi prouocator dicat exceſsiſſe modum, aduerſarius id ipſum neget, tunc ſuper articulo lis eſt, ut iudex appellationis prius cognoſcat, an ea cauſa ſit appellabilis, an id minus. Sicut ergo in principali quæſtione prouocatio non permittitur, ita nec in articulo: hicq; eſt huius legis ſenſus: tametſi non negauerim, articulum quandoque pro incidenti aut emergenti quæſtione accipi. Sed tali caſu receptiſsima eſt ſententia, non cenſeri uetitam in articulo appellationem, quamuis in principali ſublata ſit: [a] quod à me loco ſuo diſputatum eſt. [b] Alio quoque ſenſu articulus accipitur Plauto Epid.

a l.ſi ex. §. nunc uidẽdũ. de minorib.

b l.fin. C. de pact. gloſ. penul.

> Nam ſeruum miſi, qui ſolet gnatũ meum
> Sectari: ipſe hanc meo articulo emit fidicinam.

Meo articulo, id eſt, perinde ac meis digitis: etenim licitationes fieri micantibus digitis ſolebant: unde & Mancipes dicti. Aliqui tamen codices ſimpliciter apud Plautum ſcriptum habent, Ipſe hanc mercatus eſt mihi fidicinam.

Dictio Olim, quandoq; ad præteritũ, quãdoq; ad futurum refertur: et qua pœna teneatur, qui ſe filiũfam. ſit emẽtitus, Plautiq; locus declaratus. CA. XIII.

Accep

ACCEPERAT Titius filiusfamil.mutuam pecuniam,ſcripſeratq́; in documento tabularius Titius filius olim Sempronij, deinde agenti creditori obiecerat exceptionem S. C. Macedoniani. Quærebatur, quid iuris eſſet. Reſpondi, Non ideo inſtrumentum cenſeri falſum, quòd in eo ſcriptum eſſet, Olim Sempronij: licet enim id aduerbij præteritum tempus ſignificet, quandoque tamen κατ' ἐναλλαγὴν pro aliquando accipitur, & ad futurum refertur: quod Bart.tradidit, [a] & receptiſsimum eſt. quamuis etiam ſi hæc ſignificatio non acciperetur, nihil tamen tabellioni ipſi imputandum eſſet, qui potuit aſſertionem partium ſequi: [b] ſed ſuæ potius facilitati tribuere id creditor debet, qui conditionem eius cum quo contraxit diligenter non ſit perſcrutatus. [c] Putarim tamen crimine ſtellionatus teneri Titium, qui ſe filiumfamil. affirmauerit, cùm non eſſet,ſicq́; creditorem deceperit: quod non abſimili caſu Baldus reſpondit. [d] Quid ſi neget ſe falſum affirmaſſe, ſed mutatione puncti ſe tueatur? fuit enim olim filius. nempe habita relatione ad tempus quo eum pater Sempronius ſuſcepit:

a *Barto.l.j. §.j.de op. no.nunt.*

b *Bald.rub. C. de fide inſtr.col.j.*

c *l. qui cum alio.de regu.iur.*

d *Bald.conſil. xiiij.j.*

ſic Plautus in Epidico:

Quam negat nouiſſe mater? non ergo matris ea filia eſt?

In meum nummum in tuum talentum pignus da, ni eſt. P. captio eſt. Sic enim legendum, non ut uulgò habetur, Pignus daniſtæ captio. Sed certè Iuriſconſulti noſtri ad huiuſmodi captiones non attendunt, ſinuntq́; eas comicis: ideoq́; non eſſet impunitus iſte dimittendus.

ANDREAE ALCIATI I.C. ΠΑΡΕΡΓΩΝ, SEV, OBITER DICTORVM LIBER XII. ET VLTIMVS.

*

Dictio Omnis, in quo differat à dictione Quilibet, & quàm uariè à Iuriſconſultis accipiatur: explicatusq; Vergilij locus. CAP. I.

HOC dictio Omnis,à dictione Quilibet, differre creditur,quòd Quilibet actum in ſolidum ſingulis diſtribuit, Omnis uerò non ſingulis, ſed ſimul & collectiuè:quod intelligendum,ſi numero multitudinis proferatur,ueluti,Omnes homines ferunt lapidem: quod ſi ſingulariter dicatur, ſecus eſt: ut cùm dicimus, Omnis homo fert lapidem: tunc enim non collectim,ſed diſtributiuè accipitur: quod Barto. noſter tradidit, [a] & receptiſsimum noſtratibus Iuriſconſultis eſt: nec negari poteſt, quin ita plerunque ſit. Videtur tamen aliud quandoque obſeruari: ut cùm lex Verior,

a Bart.l.hoc *articulo.de hær. inſtit.*

Verior, inquit, ſententia eſt, unius facto o-
a l.in execu tione. de uerb.obl §. in ſolidum. mnes teneri: [a] quoniam licet ab uno prohi-
beár, non tamen in partem prohibeor: ſed cæ-
teris famil. herciſc. iudicio ſarciet damnum.
Apparet ergo unum inſolidum conueniri, qui
ab alijs deinde repetit: ſicq; non collectiuè, ſed
ſingulariter ea uox accipitur: quod & alijs lo-
cis propter ſubiectum argumentum demon-
b l.ſi rē quæ. §.j.de euic. Barto. l. ſi pluribus.in fi.de leg.ij. ſtrari poſſet. [b] Econtrario numero ſingulari
particulariter accipi apparet ex VII. ſynodo,
Si quis omnem traditionem eccleſiaſticam,
ſcriptam uel non ſcriptam, uiolat, anathema
c j.q. vij.ſi quis omnē. ſit. [c] Omnem intelligit, id eſt aliquam ex o-
d xv. q. j. mulier. mnibus: cuius rei plura quoq; exempla affer-
ri poſſent. [d] audacius id Furius lib. x. ad plu-
ralem numerum tranſtulit, quem imitatus eſt
Lucretius lib. v.

> Maior erat natu, non omnia poſſumus o-
> mnes. Et Vergilius:
> Dicite Pierides non omnia poſſumus o-
mnes. Id eſt, ſinguli ex omnibus: ſic enim
uidetur carmen illud interpretandum eſſe.

Stupharum mentio in iure, earumq; uarij uſus & modi: & quid, & unde dicta ſit cucuma: & de caminis. CAP. II.

Dubit

DVBITATVM, à pleriſque doctis uiris fuit, an ea uaporaria, quæ uulgò Stuphæ dicuntur, in ueterum uſu fuerint, cum hodie adeo frequentia in prouincia præſertim Germania ſint, ut abſque illis in hyeme non conſtet eius incolis uita. Dixi, in iure noſtro eius rei mentionem eſſe, & quidem non uno in loco: etenim Zetæ, ſeu (quod idem eſt) Diætæ pars fuit, concameratus aliquis locus, totus ſoli expoſitus, atque hyberno tempore calorem ab eo recipiens, quem ideo ueteres omnes Heliocaminum uocabant, [a] Vlpianus: Si arborem ponat in heliocamino uel ſolario, quia umbram facit in loco ubi Sol fuit neceſſarius, dicendum eſt contra ſeruitutem impoſitam fieri. Huius tamen heliocamini rarus eſt hodie uſus, ſed frequentiſsimus eius uaporarij quod æſtum ab igne mutuatur: id apud ueteres tribus modis contingebat: quandoq; iniecto in ipſum cubiculum igne, quod ſolenne in thermis erat. & Hypocauſtum Græca uoce appellatur. Papinius: – & tenuem uoluũt hypocauſta uaporem. Vlpianus: [b] Mandauit, inquit, medico ut in hortis, quos Rauennæ habebat, ſphæriſterium & hypocauſta, & quædam

a l. ſi arborem. de ſer. urb. præd.

b l. ſi quis ui. mand.

dam ipſius ualetudini apta ſua impenſa faceret. Idem: [a] Lignis legatis quod comburendi cauſa paratum eſt continetur, ſiue ad balnei calefactionem, ſiue diætarum, ſiue hypocauſtorum. Alius erat modus, cùm in parietibus ipſis fiebant tubi ſeu canaliculi, [b] quibus ignis immitteretur. Seneca epiſt. XCI. Quædam noſtra demum prodijſſe memoria ſcimus, ut ſuſpenſuras balneorum, & impreſſos parietibus tubos, per quos circunfunderetur calor, qui ima ſimul & ſumma foueret æqualiter. Proculus: [c] Non licet, inquit, tubulos habere admotos ad parietem communem, quòd per eos inflammaretur paries. Ab ijs tubis puto dictam uulgarem uocem Tubeam ſeu Stufam, quum ueteres ſimpliciter Zetam dicerent, ἀπὸ τοῦ ζεῖν, quod eſt feruere, ſeu per mutationem literæ Diætam, quod ſuprà libro, V. cap. XIII. tradidimus. Tertius erat modus, cùm uice tubulorum uas æreum, quod Cucumam uocabant, parieti applicarent. Martialis X.

a l. ligni. de leg. iij.

b l. j. de cloa.

c l. quidam hyberus. de ſeruit. urb. præd.

> Torquatus nitidas uario de marmore thermas
> Extruxit, cucumam fecit Otacilius.

Alphenus: [d] Seius in eo loco ſe lauatum iſſet, in quo labra & crateras, & cucumellas poſitas

d l. ſi quãdo. ſi ſer. uend.

hab

haberet. Dicta eſt autem cucuma ad ſimilitudinem uaſis caldarij, cui hoc nomen eſt, & cuius mentio Petronio Arbitro, Arrhiano, Ambroſio, Iſidoro, & Iuriſconſultis noſtris:[a] ſeruatq; adhuc nomen, à ſtrepitu feruoris ſic dictum, ſicut & Cacabus. Iulianus Imperator in oratione quæ inſcribitur μισοπώγων, ſimpliciter appellat Caminum: refert enim quemadmodum Lutetiæ Pariſiorum ſoleant cœnacula ijſce caminis ſeu thermis calefieri. ὅνπερ εἰώθει τρόπον ὑπὸ τοῖς καμίνοις τὰ πολλὰ τῶν οἰκημάτων ἐκεῖ θερμαίνεσθαι. quem uaporem ipſe ferre non poſſet, quamuis Gallorum ipſorum ἀγροικίαν facillimè toleraret. Videntur ſanè ueteres in domibus habuiſſe caminos, ſed non eius formæ cuius nunc conficiuntur, nempe adhæreſcentes parietibus, & fumum ſupra tecta effundentes: ſed foramine aliquo in contiguum locum exhalantes.

[a] l. j. de ſicar.

Quid Palea ſignificet in Gratiani Decreto, & quæ dicantur κρόνια, ſeu Saturnalia. CAP. III.

IN PONTIFICII iuris decretis, quæ Gratianum monachum collegiſſe ſuprà diximus, non pauca ſunt capitula quibus inſcriptum eſt Palea, ideoq; frequenter eſt hæſitatum

ſitatum, quęnam eius tituli eſſet ratio. Conſtat autem conſenſu omnium, ea quibus talis eſt inſcriptio certæ fidei non eſſe, neque ceu authentica allegari poſſe: & pleriq; tradiderunt, fuiſſe Gratiani ipſius diſcipulum, cui Paleæ eſſet nomen, qui magiſtri ſui libro & rubricas ipſas, & ea capita adiecerit, ſicq; à nomine ſuo appellarit, quod apud Ioan. Andr. relatum extat.[a] Ego compertum habeo, ueteres uulgari ioco paleam appellaſſe res tenues, & modicæ utilitatis, uel nullius momenti: unde in Chronicis relatum extat Alexandriam, ad Tanarum in Statyelis, urbem cùm condita fuit, Paleæ cognomen in contemptum à uicinis accepiſſe: ſic cùm Corradus Imperator coronam regni Italici non Mediolani ſecundum ueterum morem ſuſcepiſſet, ſed alibi: uulgò tum ferebatur, corona paleæ fuiſſe redimitum: quæ loquendi conſuetudo etiam Græcis fuit. Ariſtophanes:

a in Spec. §. fi. de diſpu.

τοὺς γὰρ μετοίκους ἄχυρα τῶν ἀστῶν λέγω.

Paleam inquilinos eſſe dico ciuium.

Sed quid ſi interpretemur palea ex Græco ſermone? etenim hæc uox Græcè non ſolum antiqua ſignificat παλαιὰ, ſed etiam fabuloſa, fatua, leuia, qualia ſunt quæ nimia uetu-

ſtate

ſtate obſoleta ſunt: quo ſenſu apud Ariſto-phanem uox hæc ſæpe accipitur: ſic & Lucianus in epigrammate quo in libellos ſuos eſt præfatus:

Λουκιανὸς τάδ' ἔγραψε παλαιά τε μωρά τε εἰδώς.
 Μωρὰ γὰρ ἀνθρώποις καὶ τὰ δοκοῦντα σοφά.
Οὐδ' ἓν ἐν ἀνθρώποισι διακριδόν ἐστι νόημα,
 Ἀλλ' ὃ σὺ θαυμάζεις, τοῦθ' ἑτέροισι γέλως.

Stulta quidem in ſpeciem luſi. ſapiẽtia quãdo
 Nil humana aliud quàm mera ſtultitia eſt.
Haud quaquã eſt homini certę ꝑfectio mẽtis,
 Approbet hæc aliquis, rideat hæc alius.

Græci huiuſmodi obſoleta & deſita etiam κρόνια uocant à Saturno, qui temporis & uetuſtatis eſt Deus: unde & Saturnalia feſta Cronia dicuntur L. Attio poëtæ apud Macrobium,

 Maxima pars Graiûm Saturno, & maximè Athenæ
 Conficiunt ſacra, quæ Cronia eſſe iterãtur ab illis.

Scribit Dion Coccæus lib. LVIII. Cùm Britannicus exercitus A. Plautio proconſuli minus pareret, miſiſſe Claudium Imperatorem ad eos libertum ſuum Narciſſum: qui cùm pro tribunali concionem habere inciperet, in-

d dign

dignatos omnes exclamaſſe ἰδοὺ κρόνια ecce Saturnalia: quòd ijs diebus ſerui pro liberis ſe gererent & dominorum ueſtibus ſumptis imperarent. Vnde & Seneca in libello de morte Claudij, Non ſemper, inquit, erunt Saturnalia. Idem Dion lib. XXXVII. ſcribit Albanos à Pompeio ſtratagemate quodam ſuperatos: cùm cæderentur exclamaſſe, ὦ κρόνια, ὦ κρόνια: ſiue quòd ſtultitiam ſuam deprecarentur, ſiue quòd Romanis ſeruitutem exprobrarent.

Emendatus Vlpiani locus in l. relegatorum. de interd. & releg. Et quid Ouaſis ſignificet: & declaratus Vergilij locus, ubi de Oaſsi agit. CAP. IIII.

VLPIANVS lib. x. de offic. proconſ. Eſt, inquit, quoddam genus quaſi in inſulam relegationis in prouincia Aegypti, in nouas inſulas relegare. [a] Sicq; uulgò locus ille legitur, ſed corruptè. In antiquis codicibus, & maximè Hetruſco, lectio eſt emẽdatior, In Ouaſim relegare. Socrates in hiſt. tripartita libro quinto. Παρθένον ἐξώρισαν εἰς τὴν μεγάλην ὄασιν. Virginem relegauit in magnam Oaſin. Sunt enim duæ Oaſes in Marmarica ad Aegyptum, maior & minor: ſic dictæ Straboni, quòd ſint loca culta in medijs arenis, tanquam

[a] *l. relegatorũ. §. eſt quoddã. de interd. & releg.*

inſulæ in mari. Plinius lib. v. cap. I X. Memphitæ, inquit, Nomo contermini ſunt ex Africa duo Oeaſsitæ populi. In eadem parte ad Aegyptum eſt & regio Scythica Ptolemæo, unde celebres habemus monachos per Scythiam in uitis patrum, & Sozomeno, Palladio, cæteriſq; pijs autoribus. Qua ratione factum eſt ut quandoq; exiſtimauerim Vergilij carmen, de ijs locis accipiendum, & legendum,

Pars Scythiam, & rapidam Cretæ ueniemus Oaſsim. Conqueritur enim poëta, non ſolum quòd Barbari milites agros Italiæ occupent: ſed quòd Itali in longinquas & ſteriles regiones, perinde ac in exilium prætextu militiæ mittantur: meminitq; nominatim Britannorum: quòd Valerios milites uiceſimarios Auguſtus in fidem acceperit, qui in Britannia ſuperiore collocati fuerint, ubi etiam legio I I. Auguſtalis ſedes habuit, ut eſt apud Dionem lib. L V. & item Afrorum & horum locorum: quia idem Auguſtus legionem tergeminam inſtituerit, ex qua Cyrenaicen in Arabia Auguſtali in Numidia ſedes dederit: uериſimileque eſt Vergilium paulò obſcurius hoc ſcripſiſſe, ne Auguſtum ipſum offenderet. Vnde data occaſio Grammaticis contro-

uertendi ſuper Oaſſe, an de Oxo Meſopotamiæ fluuio loqueretur, quem limi rapidum lutulentumq; fluere Q. Curtius ſcripſit: an de Oaſſe Cretæ inſulæ accipiendum, cuius Vibius Sequeſter, non ſat celebris autor meminerit: etenim Oaxon ciuitatem in Creta conſtat fuiſſe Stephano & Apollonio: fluuium uerò non conſtat: nec ueriſimile eſt de ſuburbana, ut ita dicã, inſula loqui poëtam. Quòd ſi de hac Memphitica, ſeu Cyrenaica intelligamus, non malè, Rapida cretæ, id eſt arenæ dicetur, cùm in medijs arenis ſita ſit, quæ flantibus uẽtis uiatores obruunt. Qua tamen in re amplius deliberandum eſt: etenim dura eſt metaphora, ut cretam pro arena dixerit.

Correctus Scæuolæ locus in l. Thais. de fideicommiſ. libert. ubi de Splendophoro agit: itemq; emendatum ac declaratum Martialis carmen. Et quid ſit Side, quiq; Feneſtellæ dicerentur. CAP. V.

SCAEVOLAE reſpõſo traditum eſt, cui libertas relicta eſt, ſi rationes reddiderit, liberum fieri quamuis nullas reddat, ſi tamen nihil adminiſtrauerit. [a] quod in perſona Splendophori reſponſum ab eo eſt. Dixi nomen huius ſerui eſſe corruptum, & legendum

[a] l. Thais. §. ſplendoſo-rus. de libert. fideic.

Spond

Spondophori, quæ uox paciferum ſignificat. Erat autem frequens ueteribus id ſeruorum nomen. Apud Martialem lib.x. Spondophorus & Teleſphorus nomina puerorum meritoriorum ſunt, qui ijdem & comati erant: ſiquidem ut prouerbio dicitur, πᾶς κομήτης ὁ κίναιδος, apud Synaſium: irridetque poëta caluum quendam, cuius tempora erant crinita, adeo ut tria capita uiderentur: medium caluicie deforme, ſimillimum ſidæ almyrodæ, id eſt pomo, ſeu meloni ſalis: alia uerò in temporibus ſimillima comatis cinædis: quod carmen quia ab interpretibus non ſat uidetur intellectum, & etiam circunfertur corruptum, hîc adſcripturus ſum:

Inter Spondophorum Teleſphorumq;
Siden ſtare putabis almyroden:
Quin tu ſimplicius ſenem fateris?
Tonſor iam reliquos metat capillos
Vt tandem uidearis unus eſſe.

Veriſimile eſt Romam deferri ſolitos panes ſalis, qui à ſimilitudine ſides nomen ſumpſerint. Eſt Side apud Græcos non ſolùm malus punica, ſed etiam alia arbor non omnino ei diſsimilis apud Aegyptios uaſculo ampliore & candidis membranis obducto, quæ in lacu

Orchomenio quoq; eſt frequens,autor Theophraſtus & cæteri. Latini ueteres huiuſmodi caluos,feneſtellas uocabant, quòd ea caluicies ſicut uaſculo ſides,ita etiam feneſtræ ſimilitudinem præ ſe ferret: hincq; hiſtorici Feneſtellæ nomen apud Plinium, quòd ea corporis parte glaber autor eius familiæ fuiſſet. Nicias poëta lib.epigr. I I. huiuſmodi homines uidetur ouo comparare:

Τὴν κεφαλὴν βάπτων τὶς, ἀπώλεσε τὰς τρίχας·
Αὐτὰς, καὶ δασὺς ὢν λίαν ὠὸν ἅπας γέγονεν.
Τοῦτο βαφεὺς ἐβόησε, τὸ μηκέτι κουρέα τέμνειν·
Μήτε κόμην λευκὴν, μήτε μελαινομένην.

Cæſariẽ tingẽs quis crines perdidit omnes,
Nunc glaber atq; ouũ eſt,hiſpidus antè fuit.
Exclamat tinctor,nil iam qđ cædere poſsit
Tõſor habet:nulla eſt nigra uel alba coma.

Contractus libelli an ſit licitus: & quibus caſibus utiliter, & abſq; uſurarum labe celebretur. CAP. VI.

CVM pecunia indigerem, uendidi fundum Titio mille aureis, adiecto intra decennium redimendi pacto, eumq; fundum in emphyteuſim accepi,& quinquaginta annuos pro canone promiſi.Quæſitum eſt,an hic contractus licitus ſit, nec fœneratitiæ notæ ſuſpi-

tionem

tionem patiatur: & certè adeo ubiq; frequens eſt, ut non debeat amplius de eo dubitari: [a] cùm ab antiquiſsimis temporibus ſit inductus, ſemperq; eodem tenore per manus hominum traditus atque obſeruatus. Plin. Cecil. epiſt. lib. v. ad Caninium pro. D. inquit millibus nummûm agrum actori publico mancipaui: eundem uectigali impoſito recepi, x x x. millia annua daturus. Nos uulgo Contractum libelli appellamus, quia cùm ſcriptura non ad ſubſtantiam rei, ſed ad probationem duntaxat pertinere ſoleat, in hoc caſu receptum eſt omnino eſſe neceſſarium libellum, id eſt ſcripturam. [b] Nuperrime in quadrageſimalibus ieiunijs prædicatoriæ familiæ concionator ſemel atq; iterum in hoc genus contractus cum fuiſſet inuectus, magnaq; aſſeueratione dixiſſet ceu fœnebrem, & bonis moribus non conuenientem eſſe reſpuendum, ut qui tartareis pœnis animas emptorum poſt obitum alligaret: quàm plurimos bonos probæq; conſcientiæ homines terruit: qui cùm me adijſſent, ut ſententiæ meæ certiores efficerentur: ſimpliciter eis reſpondi, Veram eſſe concionatoris dictionem, cùm fatuus aliquis & imperitus ad emptionem accedit: quòd ſi emptor prudens,

a l. ſi quis ſit fugitiuus. §. apud. de ædil. edict. ubi Bart.

b gloſ. l. j. C. de iur. emphyt.

callidus, cautus ſit, optimo iure contractum conſiſtere: non ſolum enim ueteri prouerbio cum Minerua admouendam manum rebus eſſe, ſed etiam pontificios canones fatuis aduerſari, unde epiſcopum eligi debere traditum eſt, qui non ſolum de ſalute animarum, uerumetiam de exteriore utilitate cautus ſit atque ſollicitus. [a] Et alibi dicitur, Legem uigilantibus, non autem ſomniculoſis [b] ſcriptam eſſe: nec enim in euangelio ſimplicitas nuda approbatur, ſed quæ prudentiæ ſit coniuncta. [c] Cùm expectati reſponſi nouitate moti ciues mei eſſent, rogauerunt ut tanquam Oedipus ænigma eis hoc diſſoluerem. Dixi, in emptionis contractu id eſſe omni iure conceſſum, ut emptor quanto uiliori pretio poſſit emat: uenditor quanto carius diſtrahat: [d] nec in eo ſubeſſe ullam uſurarum ſuſpitionem, nedum ullam legis prohibitionem, dum tamen prope dimidium iuſti pretij erratum non ſit. [e] In contractu uerò mutui facilè legem ſuſpicari uſuras præſtitas, cùm quicquam ultra ſortem ipſam ſolutum reperitur. Si ergo emptor hoc agebat, non ut emeret, ſed ut mutuaret, proculdubio ueram eſſe concionatoris ſententiam. [f] Sed quomodo id cognoſcemus,

a can. Petrus. 39. diſtinct.

b d. l. pupillus. in fin. quæ ĩ frau. cred.

c can. qui ea. 38. diſtinc.

d l. ij. l. ſi uoluntate. C. de reſc. uẽd.

e cap. ad noſtram. de emptio. & uend.

f capit. illo uos. de pig.

mus, & ſi fundus uili pretio diſtractus eſt, & emptor in eo prudens fuerit, ut rem pluris pretij minoris emerit: apparet non eo animo eum fuiſſe, ut mutuaret: atqui plurimum delectaretur ne uenditor unquam redimeret, & diem luendi præterlabi ſineret: Is ergo non poteſt cenſeri fœneraſſe. Quòd ſi emptor fatuus fuerit, & pluris rem emerit quàm ualeret, ueriſimile eſt eo animo fuiſſe ut cuperet damnoſam ſibi emptionem finiri, & pacto luendi locum eſſe: ſicq; non emptionem ſed mutuum celebraſſe, ideoq; ceu fœnoris exercitorem notari: nec quicquam refert penſio quæ interim præſtatur: quinquuncialis uel ſemiſſalis ſit, ut in noſtro & Plinij caſu fuerat, an etiam maior: quandoquidem ſi uel XIIII. & plus eo in ſingula centum præſtentur conſtitutum ſit, non ideo contractum eſſe fœneratitium: quod Martinus V. & Calliſtus III. Pontifices Roman. in uenditione annuorum redituum conſtituerunt: [a] idq; ut ipſi atteſtantur peritorum conſilium & doctorum definitionem ſequuti: qua tamen de re nos alibi diſputauimus. [b]

a cap. regimini. extrauag. de emptio. & uend.

b l. cū ſtipulati. de uerbo. obl. Afflictus. c. j. de pact.

Matrimonium inter duos impuberes contractum quo iure ualeat: & uerus ſenſus l. quæſitum. de

ſponſalibus explanatus. CAP. VII.

CVM impuberes duo uerbis prę-ſentibus nuptias contraxiſſent, quæſitum eſt, an nihil omnino actum eſſet? ut enim matrimonium contrahatur, oportet puberem uirum, uiripotentem eſſe fœminam: & crediderunt noſtri doctores iure quidem ciuili nihil actum cenſeri, idq́; ex Vlpiani reſponſo: [a] iure uerò pontificum aliud eſſe, ualereq́; eum contractum, ſaltem in uim ſponſalium. [b] Indeque annotatur cùm uitium in cauſa efficiente ſit, actum, qui ut agitur ualere non poteſt, aliquo tamen modo ſuſtineri. Quam ſententiam ego non ſolùm iure Pontificio, ſed etiam Quiritum ueram eſſe arbitror: nec me mouet Vlpiani reſponſum, quia non uidetur rectè ab ijs intellectum. Quæſitum eſt, inquit, an ſponſalia ſint ante XII. annum, ſi fuerint nuptiæ collatæ. Interpretantur ipſi collatas, id eſt celebratas nuptias: at ego collatas intelligo in tempus præmaturum reiectas: ut diſtinguamus, ſi re ipſa celebratæ ſint, ualere in uim ſponſalium: ſi non in præſens celebratæ, ſed reiectæ in tempus præmaturum: tunc nec in uim quidem ſponſalium ualeant, ſed prorſus

a l. quæſitũ. de ſponſal.

b cap. j. de deſpon. impub. lib. vj.

ſus ſint nullius effectus: ſicq; nulla inter pontificium & ciuile ius erit differentia.

Declarata l. non figura. de act. & obliga. & quædam de literarum obligationibus, & quas uulgò Literas cambij uocant. CAP. VIII.

NON figura, [a] inquit Vlpianus, literarum, ſed oratione quam exprimunt literæ obligamur: quatenus placuit, non minus ualere quod ſcriptura, quàm quod uocibus lingua figuratis ſignificaretur. Hæſitatum eſt à doctoribus, quomodo id reſponſum intelligendum ſit. etenim comparatio illa ſcripturæ & uocis non uidetur uera, cùm ſtipulatio uoce concipi poſsit, ſcriptura non poſsit: rurſus literarum obligatio ſcriptura conficitur, uerbis tantum non conficitur. Et Accurſius de literarum obligatione intelligendum putat, & taxatiuam ſubaudit, non ſcriptura ſolùm. Quàm ſententiam Bart. non probat: quoniam tempore Vlpiani I. C. adhuc literarum obligatio inuenta non erat: ipſe igitur de pacto nudo reſponſum hoc accipit, quod æquè uerbis atque literis concipiebatur. Ego literarum obligationem non dubito etiam Vlpiani tempore fuiſſe. [b] etenim reſtrictio ad mutuum, & coarctat

a l. non figura. de act. & oblig.

b l. ij. §. creditũ. ſi cer. pet. Ant. l. j. in princi. de uerbo. oblig.

coarctatio exceptionis non numeratæ pecuniæ à poſterioribus Impp. facta, [a] non arguit quin ante tamen ea ſpecies obligationis eſſet, quæ nominibus fieri dicebatur. Vnde ſic autore Theophilo definiebatur, παλαιὸν χρέος εἰς καινὸν δάνειον μετασχηματιζόμενον ῥήματι καὶ γράμματι τυπικῷ. Vetuſti nominis in nouum creditum uerbis litteriſq; ſolennibus transformatio. Cuius formę exemplum ipſe latius proſequitur. M. Cicero oratione aduerſus Criſpũ Salluſtium: Tantum ex Africa exhauſit, quantumpotuit aut fide nominum traijci, aut in naues contrudi. Videntur quę Literę cambij hodie uulgò uocantur ad hanc nominum obligationem pertinere. Cæterùm aduertendum eſt, non ſimpliciter ab Vlpiano comparari obligationem quæ literis fit ei quæ uerbis inducitur: ſed ſolum id decidi, quod quatenus, id eſt inquantum traditum eſt non minus ualere ſcripturam quàm uerba: hoc non ſcripturæ aut uerbis ſimpliciter eſt tribuendum, ſed orationi, id eſt, menti & conſenſui: uideturque alluſiſſe Iuriſconſultus ad Epicharmi Siculi poëtæ carmen trochaicum,

Νοῦς ὁρᾷ καὶ νοῦς ἀκούει. τ' ἄλλα δὲ πέφυκε τυφλά.
Mens uidet, mens audit, alia ſed ſunt cæca.

Cuius

[a] *Inſti. de literarum oblig.*

Cuius carminis, ceu uulgò iactati, abſque autoris nomine meminit Ariſtoteles problematum ſectione XI. cap. XXXIII. ſed autorem ipſum nominatim citat Plutarchus libro de fortuna Alexandri II. Enimuero, inquit Epicharmus, mens uidet, mens audit, cætera autem ſurda cæcaq; ſunt, & ratione carent. Habent quidem ſenſus propriam quandam potentiam, quos tamen mens adiuuat, ornat, & denique ſuperat: adeo ut ſola imperare uideatur, reliqua uerò ſurda, cæca, inanima, deforment potius & morentur eos quibus mens & uirtus non adeſt.

Declarata l. Charidemus. de pollicit. & quid ſit Munus edere: & de prohibito gladiatorio ludo, emẽdatus'que Iuuenalis locus: & quid ſit Premere, uel Conuertere pollicem. CAP. IX.

CHARIDEMVS reſpondit ex epiſtola, quam muneris edendi gratia abſens quis emiſit, compelli eum ad editionem non poſſe. [a] Verba hæc Vlpiani Iuriſconſulti non mediocrem ſcrupulum noſtratibus doctoribus iniecerunt: cùm enim ex pollicitatione Reipublicæ facta quiſquis quamuis abſens

a l. Charidemus. de pollicit.

ſens obligetur, uidebatur & hoc caſu quo quis editionem muneris per epiſtolam offert, obligari debere. Bartolus ideo non obligari ait, quia iuſta cauſa non ſuberat: quæ ſententia defendi poteſt, ſi rectè declaretur. Licet enim pollicitatio Reipub. facta regulariter ualeat, non tamen hoc procedit, cùm de pollicitatione muneris edendi agitur. Edere autem munus, ſignificat gladiatorium ludum in arenam producere: & idem eſt quod Munus dare: qua de re ſuprà lib. primo, item lib. I I. cap. X X I I. diſſerui. Erat autem propter ſæuitiam id munus odioſum: unde & poſtea lege Conſtantini ſublatum fuit.[a] Quæ cùm deinde minus obſeruaretur, Theodericus Gothorum rex epiſtolam ad Maximum conſulem ſcripſit, qua plurimis uerbis in hanc ſpectaculorum conſuetudinem eſt inuectus, & ceu nimis barbaram eſt execratus. Extat eius epiſtola apud Caſsiodorum uariarum lib. v. Macrobius lib. I I. autor eſt, cùm P. Vatinius ludum gladiatorium edidiſſet fuiſſe à populo propter ſæuitiam lapidatum: ideoq; ab ædilibus edictum impetraſſe, ne quis in arenam niſi pomum mitteret. Iuuenalis Saty. I I.

[a] *l. j. C. de gladiat. libro xj.*

Vicit & hoc monſtrum tunicati fuſcina

Grac

Gracchi,

Luſtrauitq; fuga mediá gladiator arenam,
Et Capitolinis generoſior,& Marcellis.
Et Catulis,Pauliſq; minoribus,& Fabijs,&
Omnibus ad podium ſpectantibus, ijs licet ipſum
Admoueas cuius tunc munere retia miſit.

Legendum enim non eſt Admoneas,cùm nihil de monitore ibi tractetur: ſed Admoueas, id eſt adiungas,adijcias, adnumeres. Idem Satyra III. Cornicines (inquit)

Munera nunc edunt,& uerſo pollice uulgi
Quemlibet occidunt populariter.

Non enim ſolos gladiatores ex laniſtarum familijs producebant, ſed quemlibet populariter,id eſt,quemcunque ex populo, quod mala gratia ſpectantium fiebat, unde conuertebant pollicem. Plinius lib. XXVIII. cap. II. Pollices cùm fauemus premere & prouerbio iubemur. Qua ratione è contrario Conuertere pollicē, erat repulſæ ſignum. Sed quid ſi apud Plinium non premere ſed promere,id eſt extendere legamus? Haud tamen facile eſt à uulgata lectione recedendum. tametſi ſupraſcripta Iuuenalis carmina, tot eius poëtę Grammatici interpretes nō uideantur mihi ſatis explicaſſe.

Veræ

Veræ lectioni reſtituta l. ſed & ſi quid. §.proinde. de uſufruc. Et quæ ſint Aulæa, Vela, & Siparia. quid Sciadion Polluci: & unde Vmbelligeri ſerui, & declaratum Martialis carmen. CAP. X.

SI inſtrumentum domus legetur, uela nõ deberi, Pegaſus ait,[a] quæ frigoris uel umbræ cauſa in domo ſunt: ea enim potius ornamenta quàm inſtrumenta domus eſſe. Vela tamen cilicia inſtrumenti eſſe Caſsius ait, quia ideo parentur, ne ædificia uento uel pluuia laborent. De uelis uerò quæ in hypætris extenduntur, item de his quæ circa columnas, Cælius ſcribit magis ſupellectili adnumeranda. Papinianus ſcribit prothyrum domus ſi uelamen eſt inſtrumento domus contineri. Vlpianus,[b] Si ſcenicæ ueſtis uſusfructus legetur, uel aulęi, uel alterius apparatus, alibi quàm in ſcena non utetur. Circunferuntur autem corruptè uulgati codices, qui pro aulæi, habent annuli aurei. Sunt Aulæa uela & ſiparia quibus porticus & aulæ nobilium tegebantur ornatus cauſa, ab Attalo primum Romanis legata, quorum mentio ubique apud autores eſt frequens. Habebant & mulieres uela ſua, inter quæ Iulius Pollux lib. VII. cap. XXXIII. ſcia-

dion,

a l. quæſitũ. de fund. inſtru. leg.

b l. ſed & ſi qd. de uſufruct.

dion,id eſt umbellam nominat, qua mulieres utebantur ad arcendum ſolem, uel aëris intemperiem: unde uerbum σκιαδιοφορεῖν, & σκιαδιοφόροι, Vmbelligeri ſerui. Martialis lib. XI. Lygdo puero mendaci & lento:

Quid precer (inquit) ô fallax meritis & moribus iſtis?
Vmbellam luſcæ Lygde feras dominæ.

Cùm enim mulieres naturaliter lentè incedant, ſintq́; (ut Plautus in Pœnulo inquit) ſpiſſigradiſsimæ, quæ luſcæ ſunt, etiam cæteris ſunt lentiores, utpote non perſpicientes ubi pedem ponant: unde munus eis umbellam deferendi conuenit lentiſsimo: ſicq́; ego carmen illud interpretor cuius ſenſum non uidentur uulgares interpretes aſſequuti. Ouidius non umbellas, ſed umbracula Omphales puellæ dixit Faſtorum lib. II.

Aurea pellebant tepidos umbracula ſoles,
Quæ tamē Herculeæ ſuſtinuere manus.

Lex Papia de ſucceſsione libertorum, in quo à Iuſtiniano imminuta, aucta'que. Et Veſpaſiani elegans iocus in libertum: & Tranquillus duobus in locis illuſtratus. CAP. XI.

LEge Papia, de ſucceſsione libertorum, cautum erat, ut ex bonis eius, qui c̄ mil-

e lium

lium HS. patrimonium reliquerat, & pauciores quàm tres liberos habebat, uirilis pars patrono deberetur: ſi nullos liberos habebat, dimidia. Verum Iuſtinianus [a] hanc legem aliquibus modis immutauit, patronorumq́; iura imminuit: in eo tamen auxit, quòd legem Papiam de liberto centenario, ſeu centum millia poſsidente, (quæ ſumma eſt noſtratium aureorum bis mille quingentorum) loquentem, de centum ſolidis intellexit, id eſt, centum & xxx. aureis noſtri temporis: [b] qua de re alibi. Locus eſt apud Tranquillum in Veſpaſiano ſatis lepidus. Erat aliquis Cærulus nomine, libertus fiſci, qui ut ius patronatus illuderet ingenuum ſe iactabat & Lachetem appellabat: hunc ergo Veſpaſianus ut oſtenderet fore ut poſt mortem nihil ei prodeſſet conditionis diſsimulatio, ſed omnino ius patroni ſaluum in eius bonis maneret, ſic compellauit,

Ὦ λάχης λάχης ἐπ᾽ ἂν ἀποθάνῃς αὖθις ἐξ ἀρχῆς ἔσῃ.

Quoniam enim Laches ex comœdia Menandri nomen eſt, eum carmine quoque Menandri irriſit:

Poſtquã interieris, rurſus id eris qđ prius.

Citatur id carmen. cum plurimis alijs titulo Menandri in collectaneis Græcis quæ Stobæo

a §. ſed noſtra. Inſtit. de ſucc. libert.

b l. quoties. C. de ſuſce. lib. x.

bæo tribuuntur: ibi Menander ait, ſi ſibi electio detur ut poſsit à principio fieri quodcunque animal eſſe uelit, quodlibet potius ſe optaturum quàm hominem: quandoquidem nihil inutilius homine quamuis generoſo, cùm ſoli feliciſsimè agant adulatores, deinde ſycophantæ, poſtremò improbis moribus uiri, &c. Prolixius eſt carmen, quàm ut hîc uideatur referendum: ſatis ſit interim Tranquilli locum explicaſſe. Idem in Tiberio nurum Agrippinam liberius quiddam queſtam Græco uerſu, Si non dominaris (inquit) filia, iniuriam te accipere exiſtimas, &c. Corn. Tacitus lib. IIII. Correptam Græco uerſu admonuit, ideo lædi, quia non regnaret. Exiſtimo ad carmen id ex Homero Iliados I. alluſum eſſe,

Πάντων μὲν κρατέειν ἐθέλεις, πάντεσσι δ᾽ ἀνάσσειν
Τοὔνεκα σοὶ προθέουσιν ὀνείδεα μυθήσασθαι;
Quod regnare uelis cunctiſq́; potentior eſſe,
An tibi pmiſſum eſt opprobria dicere uerbis?

An publicæ utilitati conducant Iuriſconſultorum reſponſa, quæ uulgò conſilia uocant: & Pauli Pici hac in re ſententia, multorumq́; ſuggillati mores: & duo prima Alexãdri cõſilia confutata. CA. XII.

ROgauerunt me non ſemel operæ impreſſoriæ, ut conſiliorum meorum, quæ

uulgò conſultoribus reddere ſoleo, copiam eis facerem, hacq́; in re Decij exemplum imitarer, qui conſtituto in folia certo pretio coacta in unum ſingulis luſtris publicanda typographis tradebat. Reſpondi, gratis me id facturum, ſi ex re ſtudioſorum exiſtimarem eſſe ut ea diuulgarentur. Verùm non ſatis adhuc mihi conſtare, quid conducibile atque ex uſu eſſet. Non poteſt certè negari aliquos profeſſionis noſtræ hac uia non uulgarem ſibi ad famam atque dignitates uiam aperuiſſe: nam & ueteres Iuriſconſulti hoc ſcribendi genus haud quaquam neglexere, ex quibus non pauci Reſponſorum libros ediderunt, honeſtiſsimumq́; id lucri genus eſt, quod ad communem utilitatem tendit, & quo ingenia excitantur: cùm alioquin ſublatis præmijs ſtudia ipſa atq; artes ceſſarent, minuiturq́; & hoc modo labor etiam ipſis iudicibus, qui horum lucubrationibus facillimè quicquid in utranque partem diſputari poſsit cognoſcunt, & commodius quid ſit cenſendum diſcernunt. Sed & ijs qui nuper ad lauream doctoralem ſunt euecti non minus horum lectio utilis eſt: qui ſi ſolis præceptoribus operam dederint, & in interpretationibus legum dumtaxat ſint uerſati, cùm

domum

domum reuertuntur, & ad forenſes actiones tranſeunt, in omnibus hæſitant, ad propoſitas factorum ſpecies reſpondere neſciunt, & plerunque uel à cauſidicis ipſis ceu minus inſtructi irridentur: [a] cùm ſi in horum conſiliorum lectione plurimum temporis conſumpſerint, ad omnes rabularum captiones habeant promptiſsima remedia. Memini tamen Paulum Picum præceptorem meum, cuius extant aliquot in iure noſtro libri, contrà diſſerentem audiſſe. Is magno natu & mediocribus facultatibus, obdurauerat tamen ad eam diem, ne cuiquam conſilium petenti morem gereret, in eosq́; inuehebatur, qui cùm publicè honoraria ob profitendi munus acciperent, neglecta auditorum utilitate ſcribendis reſponſis uacarent: nec enim poſſe eos utrunque munus rectè ſubire. Domitium Vlpianum qui tot opera in iure noſtro compoſuerit, duos dumtaxat Reſponſorum libros edidiſſe: Veteres Actium, Accurſium, Dynum, Bartolum, paucisſima conſilia compoſuiſſe, idemq́; eius temporis ſpectatiſsimos Iuriſconſultos feciſſe. Ignoſcendum quidem fuiſſe Baldo ſi cùm modicum in patria ſtipendium docendi cauſa conſequeretur (etenim Peruſij te-

[a] *l. ij. ubi Cyn. de acquir. poſ.*

nuia præſtantur honoraria) plurimum conſultando otij impendiſſe, ne minus opulentè ageret, quàm uirtus ſua mereretur: quamuis ſatis appareat, eum utrique prouinciæ ſuffeciſſe, qui tot interpretationum uolumina condiderit, ut nullam iuris noſtri partem intactam reliquerit. At inquiebat ipſe, quid dicemus Socyno, Corneo, Ruyno, Pariſio, qui magna reſponſorum uolumina, modica interpretationum reliquerunt? nempe quod ἄδικος λόγος apud Ariſtophanem in Nubibus.

Στῆθος λεπτὸν, γλῶτταν μεγάλην
Ψήφισμα μακρὸν καί σ' ἀναπείσει.
Τὸ μὲν αἰσχρὸν ἅπαν, καλὸν ἡγεῖσθαι.
Τὸ καλὸν δ' αἰσχρόν.

Videntur ij contraria Philopæmeni fortuna uentrem quidem habere, manus & caput non habere, ut meritò Ruynus [a] quandoque exclamarit, Multum perdidi, non dico de pecunia, ſed de ſenſu. Arguit enim non ſanam hominis mentem, ambitionemq; immoderatam tot conſiliorum editio. Oportet quidem egregio & magni nominis patrono uarias incidere ſpecies, in quibus quandoque cliens bonam cauſam habeat, quandoque malam: aliquando non ſatis liqueat quid iuris ſit: contingit

[a] Ruyn. l. j. ſolu. matri.

& quand

& quandoque,ut dum res ſub cultro eſt, liberalis ſit litigator,& honorarij magnitudine diligentiam aduocati prouocet : plerunque alij ſint auari,& ceu chiragrici, qui nihil aut minimum porrigant, adeo ut eos non dignos patronus exiſtimet, quos magno ſuo labore tueatur : quomodo in tam uarijs caſibus omnia ceu pari diligentia compoſita quis edat? neceſſarium certè eſt tali libro ineſſe omnis generis farraginẽ, & de eo uulgatũ illud dici,

Sunt bona,ſunt quædam mediocria, ſunt mala plura.
Qui legis,hic aliter non fit Amice liber.

Excuſat ſe in præfatione operis Pariſius,quòd eadem ſæpius repetierit inculcaueritq;. Quis coëgit eum peccare, ut ſe excuſaret? quanto melius fuerat ea ſummouere, ne uſquam apparere atq; in lucem edi poſſent : exeunt enim quandoque etiam præter autoris ipſius ſententiam. Dederat in publicum Alexander quinque reſponſorum uolumina,dederat Socynus duo,uterq; plurima ſuppreſſerat, quòd in ijs multa eſſent aduerſus ueritatem ſcripta, quibus tenebræ oculis iudicum offunderentur, ſiue id Gratijs,ſiue Pluto datum eſſet : at eis defunctis inuenti ſunt qui hæc quoque

damnata publicarent, atque magnum ſe decus nomini ipſorum adijcere exiſtimarent, unde probrum & ignominiam potius adſpergerent: ſic ſextum ſeptimumq́ue Alexandri, tertium quartumq́ue Socyni Tomum habemus, quanto honeſtius eſſet Caſtrenſis & Bartholomęi Socyni fama, ſi eorum reſponſa non extarent. Etenim qui malam cauſam habent, cùm iudicij examen formident, ad celeberrimi quenque nominis profeſſorem accurrunt, & precibus pretioq; exorant ut ſuſcipere cauſam ſuam uelit: at ille omni ingenij acumine, ſummis uiribus contendit, ut eum adiuuet: exemplumq́ue inſynceri illius rhetoris, nempe Protagoræ imitatur: qui, ut eſt apud A. Gellium profitebatur ſe docere qua uerborum induſtria cauſa infirmior uinceret, & ſuperior efficeretur, *τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν.* Hac certè in re quo quis eſt ingenio acutior, eo periculoſius peccat: prætulerim ego Barbatiæ, Iaſonis, Pariſij conſilia, ijs quæ Socynus aut Decius edidit, quòd illi craſſiore minerua uiri, quoties malè conſulunt, tam apertè & palam, tam rudibus rationibus id faciant, ut ſtatim deprændi fucus poſsit: oporteatq; egregiè bardum illum eſſe iudicem,

qui

qui non uideat. Contrà Decius, aut Bartholomæus Socynus ſubtili uiri ingenio, tam diſsimulanter, tam caute in hoc delinquunt, ut etiam peritos poſsint fallere. Decius [a] ſola ſubſcriptione ſe crimen iſtud diluere arbitratur, cùm in ea non affirmat ita iuris eſſe, ſed ſimpliciter ea ſcripſiſſe atteſtatur, ut melius cogitandi materia præſtaretur. Sannazarius ne clientem abſque reſponſo dimitteret, aliquid ex facti ſpecie mutabat, ſatisq́; habebat, ſi conſilium ſuum rectè ſecundum ius procederet: nec multum curabat quod propter facti mutationem nihil clienti prodeſſet. Caſtrenſis & Lapus non conſilia, ſed allegationes ſe ſcripſiſſe cauſabantur, & ideo in eis uerum ad amuſsim exigendum non eſſe. Equidem uidentur mihi iſti uetus exemplum declamatorum in uſum reuocaſſe, qui aſsidentes cum pueris controuerſiarum argumenta tractabant, & quicquid in mentem eis uenerat adducebant, rationes ueras falſis commiſcebant, nec quibus quodque argumentum caſibus procederet diſtinguebant: at contrà ueteres Iuriſconſulti ſtatim iugulum cauſæ appetebant. Cùm enim in omni controuerſia una dumtaxat ſit ratio quæ eam finiat, ſatis illi habebant ſi eam

a Dec. conſilio 171. in fi.

adducerent : cæteras ceu minus neceſſarias ſophiſtis & declamatoribus ijſce relinquebant: at iſti iam omnia confuderunt, labyrinthiſque implicarunt. O' miſerum imperitumq; illum iudicem, qui ex ijſce conſilijs magis pendeat, quam ex dogmatibus ordinario loco à doctoribus traditis. Non congrediar cum minutis iſtis, & ut Plautus ait, patellarijs deis : ſed tanquam cyclops Homericus iſtorum Iouem, nempe Alexandrum, Tartaricum prouocabo, dicamque quid mihi uſu uenerit: cùm primum eius reſponſa publicum accepere, emptis de bibliopola his libris. primum conſilium maxima auiditate perlegi: cœpit diſplicere, quòd uidebam id eum agere, ut iudicem circumueniret, & communiter approbatę ſententiæ, quæ contra ipſum ſtabat non aduerteret. Progreſſus tamen ſum ad ſecundum, in quo depręndi, eum uulgaribus quibuſdam dictis inniti : at punctum cauſæ qui aduerſus ſe erat, nec attingere quidem. Itaque reiecto de manibus libro, Valeant, inquam, Alexander conſilia hæc tua : ego longe pluris, quas uocant Lecturas tuas facio. Et hæc quidem Picus diſſerebat, uidebaturq; plura dicturus, niſi ex auditorum uultu deprændiſſet ingrata eorum

rum auribus eſſe, quæ de Alexandro narrabat: quòd eius autoritas quodammodo ſacroſancta nullis ſubijci deberet accuſationibus. Ego tamen paulò curioſior non permiſi excidere, quod de primis illis reſponſis dixerat: & cùm domum me contuliſſem, eaq; legiſſem, haud quaquam negligenda eſſe deprędi, quæ in eis Picus notauerat. teſtator Raymundo & poſthumo filijs inſtitutis, poſthumo ipſum Raymundum ſubſtituerat: Raymundo uerò legem teſtamenti ſeruati ſi decederet quandocunque ſine liberis Antonium ſubſtituit: Antonio, ſi decederet abſque liberis, Bernardum, uel eo mortuo eius filios: quibus non exiſtentibus Tomaſium, & eo non extante tandem ſubſtituit Bareſium nepotem ſuum & eius filios: poſthumus non eſt natus, Raymundus uiuo teſtatore abſque filijs deceſsit, Antonius, Bernardus, Tomaſius & ipſi ante diem fideicommiſsi obierunt, ſuperſtitibus nepotibus ex Bareſio. Reſpondit Alexander, caſum ſubſtitutionis non eueniſſe: quia conditiones defecerunt cùm Raymundus non fuerit hæres, neque legem teſtamenti ſeruauerit, alijq; ſubſtituti prædeceſſerint, ideoq; teſtatorem inteſtatum deceſsiſſe uideri: quod &

Corn

Corneus cenſuit.[a] Ego contrarium uerius arbitror: quia Antonius Raymundo eſt compendioſe ſubſtitutus, in qua compendioſa receptiſsimum eſt uulgarem contineri:[b] ex qua uulgari filij ſeu nepotes Bareſij ſunt admittendi, quia ceſſantibus medijs ſubſtitutionibus, qui ultimo gradu uocatur eſt potior:[c] quod procedit etiam ſi conditio non eueniſſet,[d] quia tales conditiones ad cauſam fideicommiſsi reſpiciunt, non quando ex uulgari ſucceditur:[e] & conditio ſi legem teſtamenti ſeruauerit non debet impedimento eſſe iſtis nepotibus, ne ſit in Raymundi grauati facultate eludere fideicommiſſarium.[f] Nam quod deinde ſubijcit, ſupraſcripto caſu appellatione filiorum non contineri nepotes, falſum eſt, & alibi à me reprobatum.[g] Tranſeo ad ſecundum reſponſum: Teſtator ſubſtituerat hæredibus, ut ſi ſine filijs legitimis & naturalibus deceſſiſſent, reſtituerent hæreditatem Nicolao. Deceſſerat hæres relicto filio: quem cùm ipſe in ſacris eſſet ſuſceperat, eumq; reſcripto Pontificis amplißimo ad legitima iura reduxerat. Reſpondit Alexander defeciſſe conditionem: quia non dicitur hic hæres abſque filio legitimo & naturali deceſsiſſe: diſputatq; diffuſe de pontifi

a *conſi.14. in ij.*

b *Bart.l.centurio.*

c *l.quamdiu ulti. ff. de acqui.hær. ubi Aret.*

d *Alex.139. in vj. Dec. 427. Cur. Iun.89.*

e *l. cohæredi.ubi dixi. de uulg.*

f *l. fideicõmiſſum. de condi. & demonſtr.*

g *in l.filiuſfam.§.diui.*

Pontificis poteſtate, ut & legitimati ijdem etiam legitimi ſint. Sed omiſit Alexander ſcrupuloſum illud, quòd hic filius non ſacerdotis, ſed uulgi filius à lege præſumitur, & incerto patre natus cenſetur:[a] & quamuis eum ſacerdos pro filio tractauerit, ſic tamen tractatus ad alterius bona percipienda non ſufficit.[b] Poſſet fortè prodeſſe, ut legitimatus iſte ſuccederet patri, non ut teſtatori qui fideicommiſſum reliquit. Vnde uerius eſt ſupraſcripto caſu locum eſſe fideicommiſſo,[c] cùm iſte probare non poſsit ſe eſſe filium, nec talem legis præſumptionem pontificium diploma ſuſtulit: cùm crediderit Pontifex hæredi affirmanti ſuum eſſe filium, qui non erat: nec in ijs quę facti ſunt quicquam mutaſſe uideri poſsit: alioquin quid abſurdius quàm uerbis meretriculæ credentem, aut de brephotrophio clam accipientem ius alterius perimere? Quæ à me hîc obiter dicta maioris quidem ſunt ponderis, quàm ut tam ſuccincte & leui manu tractarentur: ſed ſatis ſit dumtaxat attigiſſe, ut non temerè locutum eſſe Picum oſtenderem, ſtudioſosque admonerem, ne ullis conſilijs certam omnino fidem adhiberent, ut uineta interim cedam mea iuxta Flacci carmen.

Aud

a l. y. de in ius uocā. l. iij. C. ſolu. matri.

b d. l. fideicō miſſum. de cōdi. et demon. Abb. cap. innotuit. colū. penulti. de elect.

c Iaſ. conſil. 102. uerſi. iiij. in iiij.

Audiui ſæpiſsime conquerentem Ruynum, quòd aduerſus ſua conſilia uulgò pronuntiaretur, iudicesq; imperitiæ damnantem: cùm illi uice mutua eum ſani iudicij fuiſſe negarent. Et certè ego ſemper pro iudice magis præſumerem: ut cùm id munus ipſi ſpecialiter incumbat, famæq; & conſcientiæ ſuæ periculo agat, plura ipſe uiderit, diligentius perpenderit, maiore acrimonia diutioreq; ſtudio ſit uſus: cùm contra aduocatus dum ea quæ in rem clientis ſui ſunt adducat, cætera ſecurus nihil ultra teneatur inquirere: quod & Græcus Poëta Palladas uidetur mihi ſenſiſſe:

Μή ποτε δουλεύσασα γυνὴ δέσποινα γένοιτο
    Ἐστὶ παροιμιακόν. τῷ δ' ἔθ' ὅμοιον ἐρῶ.
Μήτε δίκην δικάσειεν ἀνὴρ γεγονὼς δικολέκτης,
    Μηδ' ἂν Ἰσοκράτεος ῥητορικώτερος ᾖ.
Πᾶς γὰρ ὁ μισθαρνεῖν εἰθισμένος, οὐδ' ἐν ἑταίρῳ
    Σεμνότερον δικάσαι, μὴ ῥυπαρῶς δύναται.

Imperium quæ ſerua fuit ne ſumat herile.
    Hoc uetus eſt. aliud nunc tibi dico nouum.
Quiſquis cauſidicus fuit, is ne iudicet unquam,
    Rhetore ſit quamuis doctior Iſocrate.
Venali uir lingua & opes acquirere ſuetus,
    Iudicium haud unquam ſordibus abſque feret.

FINIS XII. ET VLTIMI
LIBRI ΠΑΡΕΡΓΩΝ.

*

Agere in manum, 27
Articulus uaria ſignificat 39
Aulæa 64
Birſare quid 17
Kalophanta quis dicatur 22
Cacabus, Camunus 47
Κατοχὴ, detentio 14
Χρυσολόγοι qui 22
Claudianus poëta an Chriſtianus 24
Collector qui 21
Contractus libelli 55
Κρόνια, ſaturnalia 49
Κτῆμα, poſſeßio 14
Κτέαρ, prædium 14
Κατὰ πόδα, iuxta pedẽ 25
Cucuma 46
Diacatochia, διακατοχία, quid 14
Diætæ, & Zetæ, idẽ 45.46
Dictio dotis quid 34
Dictis obligari quid 35
Dictum & Promiſſum quomodo differant 35
Edere munus, quid 62
Εἰρήνη nomen propriũ concubinæ epiſcopi cuiuſdam 20
Eranarches unde dictus 20
Feneſtellæ apud ueteres Latinos calui 54
Filijfamil. dicuntur eſſe in ſacris patris 34
Formatæ literæ quæ 20
Halophantæ qui 22
Heliocaminus quid 45
Hierophantæ qui: & Mulieres hierophantriæ 22
Homeri locus declaratus 21
Hypocauſtum 45
Hydrophantæ qui: & quid Hydrophantica 22
Irenarchæ qui dicantur 19
Irenicæ literæ: aliàs συστατικαὶ dictæ: quas ueteres Formatas uocabant 20
Liberi qui propriè dicantur 32
Literæ cambij 60
Mangones 27
Manus uariæ ſignificationes in iure 26
Manuum iniectio 27
Manu breui acceptum: Adoptio tribus manibus: Affirmatio ſeptima manu propinquorum: Manus Verris: 22

Mittere manu, Manumiſſio 27
Martialis locus declaratus 53
Munus dare 62
Nepotes unde dicti 30
Notoria quæ dicantur 19
Nuntiatio noui operis, lapidis iactu fit 27
Oaßis fluuius 50.51
Oaxos ciuitas Cretæ 52
Oeaßitæ ppli duo, Plinio 51
Olim, dictio quandoque ad præteritum, quandoq; ad futurum refertur 41
Omnis dictio in quo differat à dictione Quilibet 43
Palea quid ſignificet in Decreto Gratiani 47
Plauti locus declaratur 40. 42
Plauti locus reſtitutus 22
Pollices premere: & Conuertere pollicem, quid 63
Poſſeßio quid 14
Quilibet dictio in quo differat à dictione Omnis 43
Saturnalia feſta 49
Sciadion umbella 65
Σκιαδοφόροι ſerui 65
Scythica regio in Aegypto Ptolemæo 51
Septenarij numeri laus 38
Side quid apud Græcos 53
Siniſtra uariè accipitur: Siniſtræ duæ Piſonis apud Catullum: & Siniſtra liberalitas: Siniſtra ſuſpicio, &c. 27. & 29
Siparia 64
Suſannæ hiſtoria apud Danielem an pro uera ſit recipienda 24
Stuphæ quid 45
Sycophanta quis dicatur 21
T. Liuius à Laurent. Vallæ morſibus defenſus 32
Tubi, à quibus Tubea, quàm Germani Stubā uocāt 46
Vela 64
Vergilius defenſus contra Grammaticos 18
Vergilij locus explicatus 44
Vergilij locus declaratus 51
In ueſtigijs ſtare quid 25
Vmbelligeri ſerui 65
Vmbracula 65
Ὑπεροχὴ, uulgò ſupraplus 15
Zetæ & Diætæ, idē ſignificāt, hoc eſt Stuſam 45.46

FINIS.

Fu visto in sicilia unavolta nella citta di Paler
mo un motto horribile ilquale essendo
entrato nella citta scritte queste lre
R·A·S·P·i·P· lequale lre furno
interpretate cosi che· R· volesse dire
reddite· A· aliena· S· sunt vobis· P·
propria· J· in pace· P· possidere vole
dire rendete laltrui si volite in pa
possedere il vostro. racconta questo nella
vita di marco Aurelio.

Digitized by Google

Cum esset Notarius quidam, qui diceret
in formulario (ut ita vocat) non posse
quilibet esse Caius - Seius. Titius etc.
evenit aliquando: quod rusticus quidam
accessit ad notarium celebrandi causa
instrumentum cum eum notarius interro-
gasset de nomine [redacted] respondit ille.
Franciscus, at ille protestans notarius
admirans respondit. Instrumentum
hoc celebrari non potest quia tu non
vocaris Seius vel Titius ut est in
formulario.

accipere insignia iurisconsultorum
et decorari insignibus iurisconsultorum
Dottorarsi

Quis [illegible] est hic? vel duo vel nemo

nemo hercule, nemo

et prouerbio dr Stat res [illegible] sibilla [illegible]

nemo

Prouer. bibat lapidem longum tempus

et Ouid de Ponto lib. 4

Gutta cauat lapidem consumitur annulus usu et teritur pressa uomer aduncus humo

BIBLIOTECA
Digitized by Google